BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
17 D
10

2

EE
VIII
37

12
15
2
14

Digitized by Google

2

Digitized by Google

JOHANNIS FRIDERICI HELVETII

DIRIBITORIUM MEDICUM,

DE

Omnium Morborum Accidentiumq; *in & externorum* Definitionibus ac Curationibus,

EX

SAPORIBUS, ODORIBUS FOETORIBUSVE, provenientibus

A

Fermentorum, Efferveſcentiarum *aut* Putrefactionum

SALIBUS, SULPHURIBUS vel MERCURIIS,

Quæ male inveniuntur in ſuccis alibilibus bene conſtitutis omnium Ventriculorum, Glandularum Vaſorumque Lymphaticorum totius corporis.

Domus S. Pantaleonis Scholarum Piarum

AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE. *Anno* 1670.

Ex Sacred: Fran. de Rubei

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Sereniſſimo ac Celſiſſimo PRINCIPI
ac DOMINO D^N.

CAROLO LUDOVICO,

Dei Gratiâ Comiti Palatino ad Rhenum, S. Rom. Imperii Electori & Archi-theſaurario, Duci Bavariæ &c. Domino meo Clementiſſimo.

Sereniſſime ac Celſiſſime Elector, Domine Clementiſſime,

QUum beneficiorum perceptorum recordatio ſit nativa veræ ac ſinceræ gratitudinis anima atque medulla, longe præſtabilius cenſeri oportet, quempiam ſui ipſius non reminiſci quàm illorum obliviſci. Oblivio itaque nunquam ulla ex aperto memoriæ meæ prothocollo delebit ſeu

Digitized by Google

obliterabit tantam Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ in immerentem me gratiam munificentiſſimam non ita pridem effloreſcentem, ut vel magnifico effigiei aureæ donativo tanquam exſtante aliquo perpetuæ benevolentiæ monumento ac documento me proſequeretur atque dignaretur, tametſi ego vel plurium conſimilium beneficentiarum gratioſarum inter proficiſcendum ad patrios focos ac aras per alias occaſiones ratas ac gratas particeps evaſi. Quæ quum ita ſeſe habeant, ruminans ratio conſultrix me potiſſimum ad hanc animi grati pietatem exſtimulavit, ut ad Sereniſſ. Celſit. Veſtræ pedes tanta ſubmiſſione, quantâ humillima par ac fas eſt, has meas deponere ſuſtineam Obſervationes Medicas uſu

longo

longo edoctas compertaſque, tanquam functuras vice debiti cujuſdam exilis ſacrificii euchariſtici; utpote cum mihi præcognitum ſit, quod memorata Sereniſſima Celſ. V. pro ſuo Martio viſu intellectuali, ratione hujus mei conſcripti Operis, ſe præſtatura ſit primarium, eminentiſſimum, perdoctum, præpotentem pariter atque ſummè intelligentem cultorem decantatiſſimorum Academicorum ſtudiorum, ſcientiarum artiumque, & non minus magnanimum propugnatorem adverſus quoſvis Theoninos dentes quàm talem promtiſſimum inquiſitorem & quaſi dictatorem, qualis ex nobili Judicis officio juſtiſſimam ſuper meis in meo hoc novo Opere ſive hic ſive illic commiſſis erroribus lapſibuſve cenſuram ferendam æquitatiſ-

tatiſque limam adhibendam gratioſè curabit. Enimverò nullatenus quidem meum hominis propediem mortem in ſemetipſo guſtaturi inſtitutum ſive decretum unquam fuit, eſt aut erit, edocere novam quandam Methodum præparandi aliquam auream Panaceam in imaginationis inanis crucibulo excoctam, cujus ope ſibi homines alii communiter centum annorum vitam vivere ac promittere valeant; veruntamen interea loci nullus reformido Laconice ſimul atque ingenue in lucem proferre Demonſtrationem quampiam tollendi per vias ac media Arti Naturæque congruentia funditus radices multorum morborum ſymptomatumque venenatas, niſi forſitan iſtiuſmodi mala (de quo ſolemniter proteſtor) à Deo ſummo

rerum

rerum humanarum arbitro ac moderatore fuerint fatali vitæ Termino innexa: hoc namque ingruente, nequicquam Medicus medicamenta apparabit ad unum omnia. Quinetiam quodcunque ex limpido liberalitatis ingenuæ fonte non promanat, Dedicatione indignum taxatur, prout ex pleriſque eruditis argutarum fabularum autoribus elucet, quippe qui ſuos ex aliorum ſcriptis compilatos centones non ſine notabili ſenſus genuini corruptione ſingularique cautiorum Lectorum admiratione poſteritati ita relinquunt, ut rectè intelligi à quoquam neutiquam poſſint: id quod cum in aliis Facultatibus, tum nominatim in Medicina eſt perquam periculoſum hominumque ſanitati maximè diſpendioſum, quippe quæ

eſt theſaurus inæſtimabilis. Quibus pauculis Veſtram Electoralem Serenitatem Clementiſſimam tanquam Patrem Patriæ, Patronum naturalium ſcientiarum, nutritium ſtudiorum Facultatum omnium, atque propagatorem multorum multis terris conducibilium gubernatorum prudentia doctrinâque excellentium atque Artificum inclytorum; nec non totam glorioſiſſimam Palatinatus Electoralis Domum unà cum Electoralibus utriuſque ſexus Principibus ſumma ſpe florentibus commendo ac committo ego cum gratulatorio voto pacati, fortunati atque longævi Regiminis juxta atque omnimodæ ſalutis Heydelbergenſi aulæ toti in curatricem tutelam ſummi cœlorum, pelagorum terrarumque omnium Monarchæ, qui
ſuis

ſuis fideicommiſſariis Principibus condigne in Toparchiis Coſmopoliticis vigilare atque juſtè imperare contendentibus, quos pretioſiſſimo Filii ſui ſanguine ex caliginoſo injuſtitiæ maleſuadæ Regno redemit, tandem aliquando ex Jurisdictionibus hujus ſeculi tranſituris in permanſura cœleſtis Paradiſi palatia placidè tranſlocare ibidemque triumphali glorioſæ immortalitatis corona coronare decrevit adpromiſitque. Datum Hagæ Comitis poſtridie iduum Martii cIↄ Iↄc LXX.

à Sereniſſ. Celſitud. Veſtræ

Humillimo Cliente

JOHANNE FRIDERICO HELVETIO.

PRÆFATIO
AD
LECTORES
Φιλιατρεῦντας.

Venerandi Lectores,

PRæſtant in Rep. partes bonorum Civium, atque perſolvunt rationem officii laborioſiſſimorum Phyſicorum, quicunque nova adinventarum ſcientiarum ſuarum Talenta ita coronant, ut eadem quorumvis indigentium neceſſitati ſalutique benigniſſimè impertiant, atque per viam fœnoris lucroſi communicare gaudeant. Quæ cum ità ſeſe habeant, ego ratione evulgandi novi Operis mei me Cenſuræ Cenſorum omnium ἀδιακρίτων *ſeu nullo ſuſpecto partium vitilitigantium ſtudio ductorum meapte ſponte ſubjiciam, atque æquo animi mei deſiderio ſummopere ſatisfactum putabo, quandocunque prolatam ſui judicii ſententiam candidè publicaverint, quicunque præſtabilius quid iſto effectum dare poterunt. Neque verò ego hic pretioſiſſimo temporis*

almi

almi ἀναλώματι *ſeu Theſauro quicquam ſuffurari præſumam, tractando juxta plerorumque cacoëthes multas futiles atque inutiles Diſputationum minimè neceſſariarum ambages, atque anfractus vagabundos, quippe quibus Fama nullius boni bona redditur melior, neque honorificentior, aut illuſtrior, quantumvis in hoc pervagatiſſimo Studii ſtadiique genere mihi ſuppetat ſat anſæ atque materiæ, cujus beneficio poſſem elaborare juſtum Libri decumani Volumen: ſed ego potius omnem ingenii mei rudentem movebo, atque id ſolum mihi negocii dari credam, ut talem Animi Characterem cuivis diſcendi avido imprimam atque inſculpam, quali continenter ſtimulante ipſi quævis* ἀκηδία *faſtidioſa eximatur, atque omnis alacritas voluptuoſa ingignatur ad inveſtigandum tales Vias, ac Media medicandi præſentanea, qualibus infirmatæ ac proſtratæ corporis humani vires feliciter inſtaurentur, corroborentur, ac in officio perpetuo defungendo conſerventur. Enimverò in hac una eaque prænobiliſſima maximaque* Scientia Salomonica, *ingenium ſuum exercitare, oblectare, atque recreare,*

eſt

eſt verè egregium ac regium, magnanimoque Principe maxime dignum; quandoquidem in ea propaganda eſt etiam ſita florentiſſima Corona, à quibuſvis rapinis inſidiatorum tuta ac libera, triumphalium honorum ac fulgorum Magnificentia florentiſſima, quarumvis divitiarum luculentarum ſubſtantia, atque unica deſideratiſſimā Fortuna Mundi magna.

Cæterum pro Coronide de hujus mei in lucem emittendi Literarii Monumenti Hypotheſi ſeu argumento, collibitum eſt præfari, cum perdocto illo Philoſopho, ac Medico Auguſto Etzlero Albimontano, *hæc verba faciente in ſuo, prout inſcribitur,* Phyſico-Magico-Medico *Tractatu de occulta* Sympathia & Antipathia *ex Signatura Vegetabilium*, lectu jucundum, *ſcitu utiliſſimum, Myſteriis Naturæ maximis refertiſſimum, Theologis veris æquè ac Philoſophis Mediciſque oportunum. De reliquo ſub hæc potiſſimum veſtrum erit, perdilecti Lectores, Deo Opt. Maximo inſervire religioſe, æquis contentiſque animis in participatis his à Me Obſervationibus Practicis benevole acquieſcere, atque Ægrotantibus*

tantibus ſalutarem Medicinam fideliter facere. Facere enim hoc ſi nequaquam ſuperſederitis neque neglexeritis, veſtra Ars Medicandi erit maxime fortunata, veſtra benedictio terrena erit in hoc ſeculo glorioſa, & Soſtra atque Præmia veſtra in futuro Cœleſti triumphantium Spirituum Paradiſo permanebunt copioſa, per omnia æterna ſeculorum ſecula. Quibus pauculis Vos valere, ſalvere, & æqui ac boni conſulere jubet

V.V. D.D.

Obſervantiſſimus Officioſiſſimuſque

JOHANNES FRIDERICUS HELVETIUS

Hagæ Comitis Medicinæ Doctor, & Practicus, ut & ſemper Medicinæ Studioſus, Anhaltinus Cothonienſis.

Nobi-

Nobiliſſimo & Experientiſſimo

VIRO

D^no^. JOANNI FREDERICO HELVETIO

Medicinæ Doctori celeberrimo.

CErtè ſi qua Viris Chymica laus manat ab Arte,
Diſpeream ſi non danda ſit illa Tibi.
Tu promus condus nobis Secreta revelas,
Quæ celant alii, Tu patefacta velis.
Quid de Te dicam? divino percitus œſtro es!
Ingenii Tua Mens dotibus aucta micat.
Oderit & rodat qui nil niſi propria laudat,
Qui ſapit & bonus eſt, non reprobabit opus.
Euge Vir, eximio qui clares nomine, perge;
In non mortali carmine vivus eris.

Boni ominis ergò poſuit

THEODORUS KETJES, M. Dr.

VIRO

VIRO

Nobiliſsimo, Excellentiſsimo atque Experientiſſimo

DOMINO AUTHORI.

SIncerâ mentis qui dexteritate repandit
Intima clauſtra artis, ſi laurea dignus ut illum
Circumdet, quid te quæſo, Coryphæe manebit?

Sic accinebant Tui Obſervantiſsimi Diſcipuli

JOHANNES CH. BEHMER.

DIRICUS KANNENGIESSER.

Ad

Ad Lectorem.

ERrata, benevole Lector, me abſente fateor irrepſiſſe nonnulla, quæ ne ſenſum confundant tibi penitus, ecce extantiora: Reliqua ut ipſe emendes officioſe rogo. Quod ſi cognovero meum tibi ſtudium fuiſſe gratum, ad id annitar, ut opuſculum hoc correctius & auctius tuum ſubeat conſpectum, Vale.

Sphalmata Typographica ſic corrigito:

Pag. 3. lin. 30. pro *Mercurii*, leg. *Mercurialis*. p.4. lin. 1. pro *fabolt*, leg. *faba*. p.6. lin. ult. pro *vit.* leg. *vita*. p.7. lin.24. pro *mucilaginorum* leg. *mucilaginoſorum*. p. 8. lin. 17. pro *nutrimentis* leg. *nutrientis*. p.10. lin.28. pro *priventur* leg. *privantur*. p.20. lin. ult. pro *matis* leg. *mortis*. p. 21. lin.2. pro *afflantur* leg. *efflantur*. p.25. lin.8. pro. *linum* leg. *limum*. p. 28. lin.25. *adde cum cerebri*. p. 30. lin.28. pro *ſanabile* leg. *ſonabile* ibid. lin.32. pro *tarditas, gravitas*, leg. *tarditatem, gravitatem*. p. 31. lin. 9. pro *corredit* leg. *corrodat*. p. 34. lin.24. pro *maligna* leg. *maligni*. p. 36. lin.14 pro *capillorum* leg. *capillarium*. p.46. lin.9. pro *ilicam, colium*. leg. *iliacam, colicum*. p.61. lin.5. pro *aciditas* leg. *ariditas*. ibid. lin. 24 pro *eorundem corrigendorum* leg. *eundem corrigendi*. p.65. lin.20. *illi adde* lin. ibid. lin.21. pro *hec* leg. *hac*. ibid. lin. 25. pro *continenter* leg. *continuo*. p. 66. lin. 29. pro *iſtha cauſantur* leg. *iſthoc cauſatur*. ibid. lin. 30. pro *excreſcentia & fungi* leg. *excreſcentias & fungos*. p.75. lin. 24. pro *ut* leg. *ſunt*. p.79. lin.14 pro *mellinem* leg. *mellineum*. p.82. lin.30. pro *melicerites* leg. *melicerides*. ibid. lin. eadem, pro *producunt* leg. *producit*. p. 85. lin. 8. pro *ſcirrho* leg. *ſcirrhoſitas*. p. 86. lin. 12. pro *forieli* leg. *varicoſi*. p.91. lin.1. pro *affligitur* leg. *affigitur*. p. 103. lin. 21, dele *eſt*. p.112. lin. ult. pro *ſeu* leg. *ſub*. p.116. lin.4. pro *habetur* leg. *habeto*. p. 118. lin. 2. pro *accurarunt* leg. *venenarunt*. p. 119. lin.9. pro *arida* leg *arena*. ibid. lin.12. pro *XV*. leg. *X*. p.122. lin.1. pro *concomitantes* leg. *concomitantem*. p. 126. lin. 12. pro *prædicta* leg. *prædita*. ibid. lin.33. pro *mali* leg. *quali*. p. 130. lin.12. pro *colore* leg. *calore*. ibid. lin. 24. pro *genitricis* leg. *genitrices*. p. 132. lin. 12. pro *cum pari* leg. *compari*. p. 133. lin.8. pro *ſcaturigine* leg. *ſcalpurigine*, ibid. lin. 18. pro *univerſalia* leg. *univerſali*. p. 139. lin. 15. pro *elicit Altos*, leg. *ciet alium*. p. 144. lin. penult. pro *adverſum* leg. *adverſus*. p. 159. lin. 17. pro *odoris* leg. *odores*. p. 164. lin. 4. pro *ſulphureum* leg. *ſulphuream*. p.165. lin.30. pro *carnis* leg. *canis*. p. 169. lin. 32. dele *fuſa*. p. 174. pro *pratium* leg. *pretium*. p. 175. lin. 26. pro *poſſimus* leg. *poſſumus*.

JOHAN-

JOHANNIS FRIDERICI HELVETII

DIRIBITORIUM MEDICUM

DE

Omnium morborum accidentiumque in- & externorum definitionibus & curationibus.

CAPUT PRIMUM.

Docetur primò, Artem Medicam, tantum in tam exiguo temporis ſpatio ſumſiſſe incrementum. 2. Phyſiognomiam cum ſignatura rerum earumque accurata cognitione interna Medico eſſe neceſſariam.

VEriſſimam certiſſimamque intesnorum morborum Originem pariter atque primum externorum corporis male habentis Symptomatum virus, nec non compendioſam corrigendorum illorum Methodum, & præſentiſſima tollendorum eorumdem media, atque congrua Naturæ remedia, accurate ſuccinctèque deſcribere ac præſcribere, eſt vel ipſa prima ſpeciei fronte res ſcientiæ quidem immenſæ infinitæque: Veruntamen in emendanda Medendi arte, intra XX. noviſſimos hujus ſæculi noſtri annos inter Nationes fere omnes, omnem Curam,

Conſilium; Studium, Officium, Operam, Diligentiam, Laborem atque Sudorem ſuum certatim contulerunt plures rationales Medici, Speculativi Anatomici, & curioſi Chymici, quam nullis retro ſeculis ſuperioribus poſt florentiſſimam Salomonis Regis Iſraëlitarum Sapientiſſimi ætatem contigiſſe compertum eſt. Eſt quoque jam jamque hæc Ars præſtabiliſſima tali novo Reformationis ſplendore illuſtrata, ut ex illa ſint permultæ nullius uſus ac fructus ſubtilitates omnino ſublatæ, atque in conſideratione ipſius ſimpliciore compluribus tutioribus expeditioribuſque tractationibus manualibus Naturæ ac Arti conſentaneis detur illa jam dilucidata. Quinetiam Phyſico-Medici deſcriptione vana Fortunæ Ænigmatumque (quorum Tyrannide effaſcinante hactenus prænobilis Medicina ſat diu preſſa, & tantum non peſſundata fuit, in maximum ſanitatis humanæ incommodum detrimentumque) ſe prorſus abdicarunt, uſque adeo ut nullus dubitem, quin progreſſus hujus emendationis notabilis intra paucos annos inſecuturos illi decrepitæ τῶν *Okos Bokos* Monarchiæ agyrticæ Avicenniſtarum vacuorumque rationalitate Galeniſtarum ſit πανωλεθρίαν ſeu interitum fatalem prænunciaturus atque ſtructurus. Pollet ſane acumine viſus certiſſimo talis *Medicus* peritus, qualis è diverſo jam Phyſiognomiæ oculis intellectualibus de humani corporis vel bene valentis, vel male habentis conſtitutione diſtincte ac ſcientiſſime dijudicare novit, conſimiliterque etiam *Chiromantice* ex externa Creaturarum nominatimque Plantarum *Signatura* æque atque ex earundem *Odore*, Fœtore, Sapore ac Colore, certam haurire ſcientiam poteſt, ac ſimul etiam cognoſcere membrorum illorum ægrorum requiſitum genuinum balſamum medicinale, ipſiuſque ope ad rationalem

har-

harmoniam procedere, atque ſecundum legitimam Artis *ἀφαίρεσιν* ſeu ademptionem methodicam, fundamentale Morbi ſeu Vitii venenum vel fermentando, vel corrigendo, vel attrahendo, vel præcipitando, vel expellendo planè aut plenè tollere didicit, ac probè intelligit. Præter cætera autem univerſa ſtat ſententia aſſeverandi, quod proprium Fermentationis eſt, Odores, Fœtores, Sapores, & Colores rerum immutare, earumque natura veteri deſtructâ, producere novas. Item *Fermentationis eſt artificialis*, quoque illarum proprietates ſpecificas, ſive *Sympatheticas*, ſive Antipatheticas in actum deducere in hominis uſum. Nam rerum Odores, Fœtores, Sapores & Colores ſunt *Symbola* & ſigna ſive boni Fermenti; ſive malæ Putrefactionis, velut ex operationis effectu ſentire poſſumus.

Exempla de nobili Phyſiognomiæ ſcientia in meo *Amphitheatro Phyſiognomiæ Medico*, videas ſat accurate annotata pariter atque conſcripta de *Herbarum* Signatura: quemadmodum iſtiuſmodi Signatura commonſtret ſuum peculiarem Odoris, Fœtoris, & Saporis eſſentialem atque balſamicum actum ad membrum præfiguratum, ita ut tali pacto denuo debilitata ipſius Eſſentia, vitæ Balſamum fermentando corroboretur. Interim ex abundanti ego de *Herbarum* Signatura etiamnum unum exemplum generale perfunctoriè atque obiter duntaxat commemoratum abibo.

V.G. Cordis male affecti reſanantis balſami effectus *Sulphurei*, *Odoris*, *Salini Saporis*, ſive *Mercurii* Humectationis, per ſequentem ſignaturam præfiguratur, videlicet *Cordis* in *Herba Acetoſellæ*, *fructu Citri*, *Flore Roſæ*, *Cerebri* ſive Capitis internorum externorumque morborum, vel accidentium, in herba *Betonicæ*, *Juglandis* nuce, *Flore Lilii Convallium*,

lium, Oculorum in *Flore Cyani*, *Euphraſiæ*, *Faboli.* Aurium, in *Aſari*, *Cyclaminis*, *Piloſellæ* foliis; Colli in *Bifolii*, *Hederæ arboreæ*, *Lauri* foliis; Linguæ, in *Biſlinguæ*, *Prunellæ*, *Salviæ* foliis. Dentium in arboris *Abietis* foliis, & *Hyoſcyami capſulis*, *Leonis dentis.* Pulmonis in *Bardanæ*, *Lapathi acuti*, *Pulmonariæ*, *Quercus foliis.* Jecoris ſeu Hepatis in *Becabunga*, *hepaticæ maculatæ*, *Nympheæ foliis.* Fellis in *Abſynthii*, *Centaurii minoris*, *Veronicæ maris* ſummitatibus. Splenis ſeu Lienis in *Cichorii*, *Polypodii*, *Scolopendriæ* foliis. Renum in *Cynosbati*, *Cucumerum*, *Fabarum* fructu. Ventriculi, ſeu Stomachi in *Cucurcumæ*, *Zedoariæ*, *Zingiberis* radicibus. Ilium in *Cuſcutæ*, *Dulcamaræ*, *Volubilis caulibus.* Umbilici in *Caprifolii*, *Perforatæ*, *Umbilici Veneris* foliis. *Urinariæ Veſicæ* in *Alceæ Veſicariæ*, Alkekengii, Colutheæ veſiculis. *Virilium Genitalium*, in *Eryngii* rad: *Lupuli Flore*, *Satyrionis* radice. Muliebrium ſeu *Fœmineorum* membrorum genitalium, in *Calaminthæ*, *Scarteæ*, *Verbaſci*, Vulvariæ herbæ, Uvæ granis. Quinetiam omnes creaturæ, quæ hæc & conſimilia Signorum externorum genera amittunt, amplius quoque non retinent nomen illud, quo indoles atque proprietas ſui balſamici Effectus medicabilis naturaliter exprimitur, in cujus tamen finem, à Deo creatore in natura ſuum cuique creatæ rei ſingulari, ſingulare Charagma ſeu Signum ex Signato eſt inditum, prout etiamnum in ſequentibus mentionem facturi particulariter ſumus. Ut igitur Viſus ex externis Signaturis; ita etiam Os ex Sapore, Naſus ex Odore, tanquam ex aliqua Signatura harum vel illarum ſubſtantiarum Sulphuris Odore, & Mercurii bona aut mala proprietate humoris judicare pollet, num ſit Acidum, Amarum, Acerbum, Salſum, Pingue, &c.

CAPUT II.

Demonſtratur 1. *Odorem, Fœtorem, Saporem, juxta bonam vel malam principiorum mixturam aut prædominium hujus vel illius, ſuam acquiſiviſſe Originem & Operationem.* 2. *in ſingulis corporis partibus, juxta earum requiſitum, diverſum eſſe Fermentum, quod* 3. *ab infuſione ſucci cujuſdam Glandularum inchoatur.* 4. *enarratur Fermentorum Uſus & Neceſſitas.* 5. *adſtruitur, prout naturale, ita & artificiale Fermentum Medico debere eſſe cognitum.*

COmmemoratæ illæ proprietates Odoris, Fœtoris, & Saporis, ſunt ſecundum ſuam bonam, vel ſecundum Salis, Sulphuris & Mercurii, malam mixturam, atque ſecundum prædominationem unius aut alterius vel minorem vel majorem, perquàm incomprehenſibiliter ſortitæ ſuam originem atque operationem. Ipſæ enim ſi quando producuntur in actum ſunt mobilibus, immobilibuſve rebus omnibus, vel Vita, vel Mors, ſive una earum eſt reliquarum creaturarum vel vivificatio, vel mortificatio. Quippe in his ſolis conſiſtit cujuſvis viventis vitaque carentis creaturæ propria indoles, propria natura & eſſentia, de quibus affirmantur omnia Naturæ ac Arti reſpondentia; Unde etiam omnia Naturæ Artiſque Miracula ſuam Animam Spiritumque conſequuntur, ad poſſidendum hominis ſenſus & cogitationes. Maxime ſi cui fuerit animus tractandi vim divitiarum medicinalium, ex Animalibus, Vegetabilibus & Mineralibus. Ibi namque iſtiuſmodi ſola

ex his ſunt cognoſcenda. Quia ex uno aliquo conſimili *Sulphureo volatili Odore* ſeu *Fœtore*, *Salino fixo Sapore*, atque *Mercuriali fluida humiditate*, non modo in hominis ſtomacho vivus calor nativus, ſed alius etiam concoquens calidus iſque ad appetitum conducibilis cibus ac potus invenitur, diciturque *Fermentum*. Fermentum hoc pro ratione partium eſt in hominis corpore etiam diverſum ſecundum proprium ventriculi cujuſque requiſitum Fermentum,& hoc à quodam infuſo Glandularum ſucco ſive Mercuriali Lympha inchoatur, quandoquidem non tantum in Ventriculis eſt ſuccus ex Glandulis Colli per maſticationem,.& in ilibus eſt ſuccus pancreaticus per ſuum ramum, ſed etiam ſpecialia corporis viſcera omnia ſuos peculiares habent Ventriculos Glandulaſque, quarum Lympha ipſis ſecundum ſuæ propriæ naturæ requiſitum eſt cauſa hujuſcemodi Fermenti Orexin ſeu Appetitum excitantis, per quod Fermentum, omnis cibus mutatur in Nutrimentum ad ſuſtentandum vitam ex ratione officii, hujus vel iſtius Ventriculi,Cerebri, Pulmonum,Cordis, Hepatis, Splenis & Renum. Etiam varii ſucci inveniuntur in Veſicula fellea, Veſica urinaria, Vaſis ſpermaticis,Venis lacteis, Vaſis lymphaticis,Arteriis, Venis, eaque omnia ad nutrimentum incrementumque Carnis maſſæ, Oſſium medullæ, Pellicularum, Muſculorum,Nervorum Ligaturarum,Juncturarum, & Cartilaginum, &c. Quapropter ego auſim aſſeverare,quod hujus, vel illius in corpore humano partis conſervatrix ſanitatis ſit ſola Fermentatio. Fermento enim tranſmiſſum illius Nutrimentum digeritur & ſeparatur, ejuſque ſuperfluum per ſuæ naturæ congrua Emunctoria fermentantia tandem expellitur, atque ita per harmoniam fermentorum prædictorum ventriculorum in recenti ac ſano vit vegetatio-

tationiſq; motu,totum corpus humanum alitur protinuſq; agitur. Hinc ſi Natura & Ars Fermento hujuſmodi naturaliter & accidentaliter orbatur, utraq; enecatur, & nulli creaturæ amplius vis ſubſiſtendi ſubminiſtratur. Enimverò fermenti beneficio in humano corpore omnes nutrientes humores à Putrefactione præſervantur, eorum Nutrimentum ab Excremento, eorum Tenue à Craſſo, eorum Volatile à Fixo, eorum Dulce ab Acido, eorumque Acidum ab Amaro, ſeparatur; quinimò Venena omnia morbifica, ope illius corriguntur, alterantur, figuntur, & in motu ſuo præternaturali ſiſtuntur, & præcipitantur, & expelluntur per propria Emunctoria. Quia ejus adminiculo omnia adſtringentia Salia auſtera fixa ad reſtaurandum ſanitatem amiſſam pro ratione partium ſuarum vel occultarum, ſeu incluſarum, vel reſeratarum conſequuntur Vim laxativam ac purgantem.

Narcotica, Anodyna, Stupefactiva, & Somnifera Salia ſulphurea, & Acerba volatilia nanciſcuntur vim reviviſcentem & aperitivam. Præcipitantia Salia fixa acida adpiiſcuntur, per illud Vim digerentem & fermentativam. Dipſetica ſeu ſitim gignentia Salia ſalſa, & urinoſa fixa acquirunt Vim ſitim extinguentem & mucilaginorum humorum incidentem. Urentia Salia acria volatilia, auxilio illius ſibi inveniunt Vim refrigerantem, præternaturalemque Calorem extinguentem. Exſiccantia Sulphura amara calida ſubſidio illius accipiunt indolem dulcem humectantem, refrigerantem vegetativam, Putrefactionique reſiſtentem. Nutrimentum corrumpentia Sulphura pinguia præſidio illius induunt Vim nutrientem & conglutinantem. Concoctionum maturationumque impedientia Mercurialia dulcia illius auxilio ſortiuntur vim digerentem, coquentem, maturantem Fermentationeſque promoventem. Hydropica ac tumefacientia Mercu-

rialia inſipida, viſcoſa, & conglutinantia putrida uſu illius ſibi conciliant vim roriferam omnium Viſcerum, Muſculorum, Nervorum & Membranorum, nec non vim emollientem Vulneraque conglutinantem. Quid? quod talem hoc Naturæ Fermentum corpori humano notabilem utilitatis fructum præbeat, qualis eximium latere Medicum non debet, ſed methodum adhibendi varia *Fermentorum Media* ac Vias in præparatione Remediorum medicinalium, ipſe ſecundum Artis præcepta callere merito tenetur. Hoc quippe tramite compendioſiore, Chymia ad iſtiuſmodi excelſos fulgoris præcellentis gradus jam dudum provehitur, ut ipſa nobis multa Arcana ad miraculum uſque in publicis effectibus inſigniter revelare atque indicare pollet.

Etenim ſolo illius indicio inveniuntur Media ac Viæ, quibus hujus vel illius corporis Nutrimentis humoris corruptum Fermentum, ad diverſos Morbi venenatos Fœtores, Saporeſque reſtitui poteſt in ſuavem Odorem nutrientemque gratum Saporem, hujus vel illius partis; ſive Viſceris in humano Corpore.

CAPUT III.

Pollicitationem ſuam exſequitur Autor de reſtitutione Fermenti corrupti. 2. per plures à ſe Epilepticos intra perpaucos dies reſtitutos, idem narrat affixa procedendi Methodo remediiſque adhibitis. 3. Origo Epilepſiæ, exemplo hominis Venereæ conſtitutionis declaratur. 4. adjiciuntur. remedia magnetica juxta unamquamque Complexionem.

SEcundum pollicitationem meam ſuperiorem, ego in perennem Artis Scientiæque noſtræ laudem,

dem, per amplificationem memorati de Signaturis operis, nonnulla petita ex mea ipſius curioſa experientia exempla in medium proferre conſtitui, ex quibus conſpiciendum datur, in quo vera & perfecta harmonia medicinæ, partiſque humani corporis infirmati conſiſtat ad reſtitutionem Fermenti ſanitatis amiſſæ, & quemadmodum illud beneficio præfiguratæ per Signaturam Plantæ Sulphurei Odoris, aut ſalini Saporis, aut Mercurialis humiditatis convenienter Arti atque Naturæ perficiatur atque elaboretur. Inter cæteros Morbis fixis confligtantes, ego aliquoties intra Anni unius curriculum XXVI. XXX. vel etiam XXXVIII. miſerrimè Epilepticos juniores, ſenioreſque (quorum alii laborarunt Morbo ſontico, annis pluribus, alii paucioribus, uſque adeo nt viderentur aliqui ipſorum evaſiſſe quaſi fatui, Apoplectici, & Paralytici) mira medicandi ratione intra XIII. vel XIV. dies totaliter ſanavi, præterquam ſi Morbus ille ſacer vel fuerit hæreditarius, vel in ipſo matris utero innatus vel acceleratus, vel gravibus ictibus, aut lapſibus, unde cerebri glandulæ fuerint læſæ, affectus.

Poſtquam inter medendum per triduum aut quatriduum uſus fueram Vitriolo Lunæ, Martis, Veneriſque bene præparato dulcificatoque, ſequentem ad modum ego illarum propriæ Plantæ præfiguratum Characterem Epilepſiæ reſanantem, per Fermentum verum Aſtrum magneticum curavi, prout paulo ante dixi. Dico etiam inſuper, quod obſervatio aliqua huic meæ affinis ſit talis unica in Medicinæ Regno regula, qualis ſuam virtutem in ſanationis effectu efficaciter prodere atque oſtendere poteſt, quemadmodùm ego hujus rei veritatem in compluribus morbis aliis poſt multiplex indagandi ſtudium accuratum comperi, atque ſolorum ſimplicium adminiculo

non niſi unius denarii impenſa plus admirandi patravi, quam plerorumque alii medicari non potuerunt, qui aliquot centenos imſumpſerant. Verbi gratia, ſi quis Venereæ complexionis ſeu conſtitutionis homo laborat Epilepſia, illa Morbi ſpecies ſuam inde originem trahit, videlicet, ſi quando ſuccus Lymphaticus in Ventriculo Cerebri ex defectu Fermenti in efferveſcentiam abit, tunc extenduntur illorum ex iſto orti Flatus, non tantum Membranulæ, verum etiam propter ſuum ſecum adductum Fœtorem ſimul in momento ſe includunt, & penetrant per Meninges Cerebri in Ductus & Organa Viſui Audituique deſtinata, uſque dum vel denuo per nervorum Pelliculas & Muſculorum Poros (ubi ipſorum habentur Emunctoria) ſe inde ſubtrahant vel iſtiuſmodi *Venenum* per uſum medicinalem properanter operantem figatur ac præcipitetur.

Nam propter Sympathiam, quam omnes Pelliculæ nervorum ac muſculorum totius corporis cum Membranulis Cerebri tanquam ſua radice habent, à vehementi motu totum, corpus tractum & actum turbatur & alteratur. Quod quum memorati Flatus extendentes vi Effervèſcentiæ, in Sal acerbum mutent hanc lympham, eamque etiam inficiant ſeu polluant ſulphureo Fœtore Narcotico, ideo durante Paſſionis epilepticæ tempore memorata organa ſimul omnia cum ductibus quaſi per conſenſum obſtruuntur, atque omni facultate ſenſitiva priventur, uſque adeo ut neque per ignem, neque per Aquam ad ſentiendum vel ad ſe redeundum prius reduci queant, quam dicti Flatus viciſſim exceſſerint atque eruperint: veruntamen per uſum ſequentium Vegetabilium, illa jam commemorata & Fermentorum beneficio ſeparata Salia ſulphurea bene olentia Ventriculi, Glandularum Cerebri, non tantum in ſua indiſpoſitione

tione ſeu prava Affectione reſtituuntur, ſed ipſorum etiam lymphæ Fermentum, tunc per illa Salia ſulphurea in priſtinum actum deducitur, quæ Membranulis grata in ſua humectatione & Odore ſunt, & Aciditatem effervescentem dulcificant. Atque ita bona Medicinæ Harmonia ſuperius jam tacta in hoc conſiſtit, quod non tantum ex prora Fortunæ & puppi conſilii adhibeatur una aliqua talis Plantarum jam in medium allatarum, qualis per Cerebri Signaturam, Characterem Epilepſiæ medicinalem præfiguratur, ſed certiſſimus balſamus Odoris Sulphurei, vel Saporis ſalini, aut humectationis Mercurialis quoque reperiri in aliqua planta venerea debet, idque univerſum ſecundum indolem: Ex. gr. ad hujus vel illius Veneni acidi, acris, acerbi, amari, &c. (prout ex inſequentibus uberius conſtabit) in Homine venereo curando adhibeatur quoque Planta venerea, velut in Aquilegiæ albo Flore, & Lilii Convallium Flore.

Ad *Mercurialem* Complexionem, in Mercuriali Flore Primulæ veris, aut Roſæ albæ.

Ad *Martialem* Complexionem, in Martiali Flore Lavendulæ, aut Milleſolii purpurei.

Ad *Saturninam* Conſtitutionem, in Saturnino Flore rutæ, aut Horminii Flore.

Ad *Lunaticam* Conſtitutionem, in Lunatico Flore Nympheæ albæ aut Sigilli Salomonis.

Ad *Jovialem* Complexionem in Joviali Flore Nigellæ, aut Pæoniæ albæ.

Ad *Solarem* denique Conſtitutionem, in Solari Flore Tiliæ, vel Stœchadis albæ, &c.

Atque de his conſimilibuſque magneticis medicandi Viis Mediiſque Naturæ ac Arti conſonis nihil eſt, quod quiſquam curioſus Medicus Practicus afficiatur ulla admiratione. Eſt enim peritis æque in Medicina, atque latens potentialis in ferro *Vis* movendi

movendi magnetica, illius Salis Sulphurei minimè inaudita, neu peregrina. Quemadmodum enim per nudum contactum Magnetis in actu ſtantis vis motrix *Salis* conſimilis *Sulphurei*, ipſa in actum unà deducitur, & quemadmodum iſto medio tale Ferrum ob Magnetis contactum poteſt ipſe dici eſſe magnes: Ita etiam à memoratæ Medicinæ magneticæ uſu Fermentum potentialis Nutrimenti, in actum fermentativum perducitur, in eum finem, cujus jam ſupra commeminimus. Potiſſimum autem de Fermentatione non minus in Medicina quicquam ſolidi vel ſexcentis Viarum generibus à peritiſſimo aliquo *Phyſico-Chymico* demonſtrari poteſt, quam ab ullo ſolerte Piſtore, Cereviſiarumque coctore; Externus itaque Character Signaturæ rerum nemini ſit offenſioni. Tametſi enim ipſe videatur eſſe mortuus; ſignata tamen ipſius interna Vis & Eſſentia Sulphuris, Salis, Mercurii, ſive volatilis ſive fixi, cum ſuo Odore, Sapore, & humectatione, non eſt niſi mera medicinalis Vita Balſamica, atque Aſtrum magneticum, cujus beneficio nos denuo magnetiſmum vegetativum convenienter Naturæ promovere poſſumus. In gratiam curioſorum aliam virtutis magneticæ annotare lubet viam. Nam cum virtute magnetica erga ferrum allecti veteres judicarent certam latere Sympathiam inter Metallorum Sulphura, Salia, Mercurios Vegetabilium etiam, animalium & lapidum, hæc inventa eſt certitudo, more Germanorum Auri ſive Argenti foſſorum, per eorum virgulam montanam, cum qua ambulantes per montes inveniunt, quæ in eorum ſinubus ſive viſceribus incluſa ſunt.

Obſervationes hæc ſunt: Virgulam divinam hanc abſcindunt, mane ante ſolis ortum, plenâ Luna, cum cultro novo, & eſt furca ex duobus ramulis

mulis unius anni, ab arbore nucis avellanæ, hæc tenetur fortiter in manu elevata, ſed ubi latent Metallorum (ſive nobiliorum, ſive viliorum) venæ, tunc ſtatim ab eorum fermenti Sulphureo, ſive Salino, ſive Mercuriali vapore, ſtrenua vi attractiva vertitur prædictæ virgæ montanæ cuſpis ſeu ſummitas ad terram, ut ferrum attrahitur à magnete, tali modo etiam inveniuntur venæ aquarum dulcium ſubterraneæ, ſed pro coryli Virgula ſumitur ramulus ab arbore ſalicis aquaticæ.

Pro animi recreatione & curioſorum deſiderio mea addam experimenta ad rem medicam, & incredulo talia probare licitum erit.

Ex. Gr. Si libentius ſcire vellem de Sympathetica Natura Sulphuris, Salis, Mercurii, alicujus lapidis, animalis & vegetabilis, cum *Auri*, *Argenti*, *Veneris*, *Martis*, Sulphure, Sale & Mercurio, tali utor prædicto proceſſu, ſed in una manu, in qua tenetur virgula hæc montana, tenetur fruſtulum auri puriſſimi, & ubi ſub terris, vel linteis, vel lignis latitat lapis Hyacinthidis, Granati, Margaritarum, & Rubini, Corallorum rubrorum, Margaritarum immaturarum, plumoſi aluminis, ſalis vulgaris, ſtatim iſta virgula ſe vergit cuſpide ad ipſam, ita judicandum mihi erit, iſtos lapides poſſidere medicantem vim Sulphuris, vel Salis, vel Mercurii Auri.

Si huic etiam Auro in manu tenenti cum Virgula additur fruſtum Argenti, tunc attrahitur à matre perlarum. Vice verſa;

Si argento additur fruſtulum Auri, tunc attrahitur à lapide Amethiſtidis Orientalis & Occidentalis, Cryſtalli montani, & Opali.

Argentum attrahitur à ſuccino flavo & albo.

Ferrum attrahitur à ſuccino nigro & arſenico albo.

Cuprum

Cuprum attrahitur à viridi ære.

Plumbum attrahitur à ſmaragdi lapide orientali & occidentali. Omnia ſeptem metalla attrahuntur à magnete.

De Animalibus.

Aurum attrahitur à dentibus vaccæ marinæ, à ſanguine cervi & cervæ, à limacibus, Oſtreis, Halecibus ſalſis, piſce, porco, Moſcho, zibetho, oculis cancrorum, Caſtoreo, ovorum putaminibus, ex quibus excluſi ſunt pulli.

Aurum cum fruſtulo Argenti a piſce ſalſo porcello.

Argentum à dentibus Hippopotami, ab Oſſibus capitis aſelli minoris à conchis marinis, halece recenti.

Ferrum à dentibus apri, lapidibus carpionis, pelliculis ſtomachi interioribus, ab albo Græco, ſquilla gibba.

Mercurius, Argentum, Aurum, à dentibus lupi piſcis.

Plumbum ab erinaceo, carne viperarum, millepedibus; aſello majore, & minore, & aſello arefacto.

Stannum à lepore, & pedibus leporis, ab axungia, taxo, anguilla.

Omnia ſeptem metalla, à cranio humano, & ſpiritu urinæ.

De Vegetabilibus.

Aurum attrahitur ab aloë, aſa fœtida, aceto vini, burſa paſtoris, baccis lauri, botride, calendulæ flor: cardamomo, Chelidoniæ herba, colocynthide, enulæ rad: Ireos florent. Galangæ rad: granis kermis, liliis convall: petroſelino, rhabarbaro, ſantalo rubro, ſinapi ſemine, ſpongia, terebinthina vulgari & Veneta, tormentillæ rad:, vino, vincapervinca.

Aurum

Aurum cum fruſtulo Argenti à calamintha, cinnamomo, conſolida majori, leviſtico, roſmarino, ſtorace.

Aurum cum fruſtulo Argenti, & Veneris, à caryophyllis.

Aurum cum fruſtulo ferri, à baccis juniperi, Zingiberis rad.

Aurum cum fruſtulo cupri à braſſica rubra.

Argentum à calami rad: centinodio, pulegio.

Mercurius, Argentum, Aurum à pœoniæ ſemine.

Plumbum à camphora, Coculis, helleboro nigro, muſco murario, nymphæa, nucibus vomicis, opio.

Ferrum ab Euphorbio, fabis Turcicis & Romanis, fumaria, morellorum nucibus, pipere, rhaphano, ſaxifragia.

Omnia ſeptem Metalla à muſco cranii humani.

CAPUT IV.

Aſſeritur 1. *Fermentum eſſe univerſale, idque convenientiſſimum Naturæ humanæ Purgans.* 2. *Negatur D. Gliſſonii nutrimentum Corporis à ſanguine ſplenetico per fibras ſeparatum, adductis in contrarium Experimentis,* 3. *ſentit Autor corpus noſtrum nutriri à Lymphatico ſucco Glandularum propterea que vocat Lympham talem* Filium *ante* Patrem.

EGo quoque nonnullibi in ſuperioribus, ni fallor memoria, commemini recentiores hujus Ævi Anatomicos eſſe longe acutiores, ac ſolertiores pleriſque priſcis in ſuis ſpeculationibus. Hodierni namque Phyſico-Medici per ſuam Anatomiam non tantum intelligunt, quomodò omnes humani corporis internæ Partes & Viſcera, licet eorum unum

unum cum altero ſit connexum, ſint ſingula ſingulatim tamen ſuis locis in peculiaribus ſita, & qualem Vas quodque ſuccum alibilem ſibi incluſum contineat, unde quælibet corporis pars, ſecundum ſuam indolem alatur, Vireſque acquirat, & quod ſecundum conſtitutionem cujuſque ingenitam quoque penes illa proprium quoddam robur naturale Fermentumve reperiatur, verum etiam exactiſſima ratione callent, quomodo per illorum ventriculorum Fermenti corruptiones, Effervеſcentiam & Putrefactiones, parientes multum veneni, cauſæ morborum fluant.

Quinetiam ipſis exploratiſſimum eſt, quod nullum Naturæ humanæ convenientius Purgans in tota rerum Univerſitate inveniatur quam *Fermentum*, quippe quod non tantum nutrit, ſed omnium etiam Ciborum Potuumque uſu perceptorum ſuperfluos Naturamque impugnantes, Odores Saporeſque avidos invertunt convertuntque in Dulcedinem Naturæ conſentaneam omnemque exceſſivam Dulcedinem in gratum Acorem, omnes amaros ſulphureoſque Odores ac Sapores in gratam *Salſedinem*; *Salſedinem* acrem omnem, in gratam Amaritudinem, omniumque rerum *Acritatem*, in leniſſimum Odorem ac Saporem, Lenitatemque nimiam in Saporem aſperum, compluresque id genus alias operationes mirificas edit, prout ego de variis Salium, Sulphurum, Mercuriorumque mixturis verba facere decrevi. Jacet quidem hoc ampliſſimum Naturæ *Opus* oculis totius mundi omnibus ſubjectum; attamen à pleriſque antiquis *Anatomiſantibus*, Galenicis Merdæ Urinæque Prophetis illud viſum fuit Res ex toto cœca, nebuloſa ac caliginoſa. Proteſtor autem, quod hic me nolim fusè in diſputationes infructuoſas ſupervacaneaſque ingurgitare, more illo-

illorum, qui noſtra Ætate diſputare atque exarare præſumunt, utrum Nutritio & Suſtentatio corporis humani fiat ex Sanguine, an vero ex Succo lymphatico? cum tamen famigeratiſſimus ille Medicus ac Anatomicus Gliſſonius, in ſua Anatomia Hepatis probare conetur, quod Ventriculus Succi alibilis per Fibras nervoſas à Lienis Sanguine ſeparetur, atque inde ulterius per conjunctionem Nervorum transferatur ad Corpus hominis alendum. Quam ipſius veritatem tam in Pinguibus carnoſiſque Avibus, Splene carentibus, quam in Canibus, quorum nonnullorum Splenibus exſecandis egomet ipſe adjutor fui, mihi demonſtrari pervellem, utpote qui ejus generis Vas ſeparatorium in Lienibus nunquam compererim, & proinde æſtimatione judicarim illius aſſertionem dignam pari cum fabuloſa illa priſcorum Anatomicorum ſcriptione de ſuo Ramo ſplenico, tendente à Splene ad Stomachum, quaſi per iſtum Succus aliquis melancholica gignens, ſe eò infunderet, & quod Splen ſolus eſſet Autor tam Lætitiæ, quam Triſtitiæ, quorum tamen utroque ne Canes quidem Splenibus carentes, neu Volucres, neque inter cantillandum, neque inter contriſtandum quadantenus deſtituuntur. Nihil jam recenſebo, unde inveniant, ac ſibi induant Carnes exangues gammari, Aſtaci, Cancri, Squillæ gibbæ, Oſtreæ, Conchæ, Colothuria & aliquot centeni reptiles volatileſque Vermes. Interim non ignoro, quod in Ventriculo nulla Sanguificatio, ſed vero una Chylificatio præparetur; qualis Chylus ſolus poſt ſaturiorem in Glandulis digeſtionem jure merito *Succus alibilis* nominari poteſt. Quocirca omnes *Phthiſi*, *Rhachitide*, *Atrophia* Carniſque quidem penuria laborantes, at ſanguine abundantes Homines non forent macilenti nec aridi,

B ſi ipſi

ſi ipſi duntaxat dimidium hujus ſucci alibilis vel Chyli in ſuo Ventriculo haberent, quantum ipſis ſuppetit belli ſanguinis in ſuis Arteriis ac Venis. Satis ſuperque notorium quoque eſt, quod homines ſanguine ſcatentes, poſteaquam in pinguibus carnoſiſque ipſorum Brachiis Cruribuſque Fiſtula ſeu Fontanella fuerit inciſa ac aperta, emacientur ac debilitentur; prout etiam uſuvenit, quandocunque Muſculi atque Nervi ſuum lymphaticum perdunt humorem: id quod tamen neutiquam ita eventurum fore credo, ſi Venæ ipſis omnes forent præciſæ. In hoc igitur controverſiæ puncto, à meis partibus ſtant ac militant prægnantiorum rationum momenta, cur ego Chylum in Ventriculo, nec non Glandularum Lympham in alimentaria virtute, ac proprietate adverſus ſanguinem collocaverim, atque *Filium ante Patrem* nuncupaverim. Cæterum ſi quis Anatomicorum potuerit hoc enodatius, atque ſolertius in Bove carnoſo pinguique demonſtrare, ille inter invitatos convivas principes accumbet atque cum illis ex Armo lautiſſimo comeſturus eſt. Quid quæris? Pauciſſimis medicinæ noſtræ Alumnis ac Magiſtris eſt glandulosa fermentantis lymphæ Natura Proprietaſque, de qua ſupra jam aliquantum mentionem fecimus, ſatis cognita, & per conſequens etiam multo minus, illis innotuerunt venenati Sapores atque Fœtores plerumque corruptæ Lymphæ morbos, ac ſymptomata progignentis.

CAPUT

CAPUT V.

Laudantur. 1. *Inventores Magni Secreti Univerſalis, quod à Philoſophis dicitur* Ignis humidus & ſiccus. 2. *Ejus uſus.* 3. *Galenicorum notatur ignorantia circa fixorum Morborum per Fermentum redivivum tollendam radicem.* 4. *Eorundem Luxus in propinandis Purgantibus, adhibendiſque Venæ ſectionibus.* 5. *Putrefactionis in corpore humano ſoboles Venenum mortiferum.* 6. *Chymia adfert Corporis ſanitatem & Mentis recreationem.* FERMENTUM METALLICUM (*vitrificatio*) *multas formoſas producit Tincturas metallicas, quibus debito modo ſeparatis; Morbi Fixi expelli poſſunt.*

ANteà ego quoque commemini de laudabili curioſitate Chymico-Medicorum noſtræ memoriæ, quam longe illa plurimis antiquis in nobiliſſima Anatomia Vegetabilium, Animalium ac Mineralium excellat. Autorum autem Coryphæi inter eos ſunt, qui per imitationem Naturæ ſibi invenerunt Univerſale Magnum Secretum humidum ac ſiccum, vel ſiccum ac humidum ignem, utpote de quo tanquam ſuo maximo naturæ Arcano, ipſi permulta ſcripſerunt, eundemque confictis mille Fabularum Generibus caute obtexerunt, atque involverunt, quum talis per efficacem hujus Vulcanii ignis Calcinationem, permulta Miracula ediderit. Taceo quod Fermenti hujus Secreti beneficio ipſi ex peſſimis venenoſiſſimiſque Subjectis, præſtabi-

liſſima quæque Medicamenta ad humanæ ſanitatis labefactæ reſtitutionem in integrum præpararunt, atque in morbis fixis omnibus tanta Opera, quanta videbantur præſtitu impoſſibilia patrarunt, quandoquidem Philoſophi tales tali via, non niſi purum ab impuro ſepararunt, atque ad perfectionem omnia illa perduxerunt, de quibus ego Capite antecedente ſecundo profuſius egi. Ex quibus pauculis jam ſatis elucet, quod nequaquam talibus Fratribus Vulcani ſuppoſititiis ſeu adulterinis, quales ſunt Chryſopœi & Alchymiſtæ, ſed germanis Phyſico-Chymicis ſolis datum ſit, memoratum antea *Magnetiſmum* Medicamentoſum numeris omnibus ita perficere, ut ſe prodat per effectus reſanandi mirificos. Pertæſum eſt adſcribere, quod puris putis Aſophis, Galeniciſque, Samſonis Ænigma ſit taliter ſolutu impoſſibile, ut ipſi per viam reddendarum de ſua medendi cognitione rationum intelligant, qualiter fundamentalis fixorum periculoſorumque Morborum Vitiorumque radix, per Fermentum redivivum ex Ægrotis tollenda ſit funditus. Scilicet illorum Symbolum familiare inveteratum eſt: *Ars longa, Vita brevis.* Quippe captandæ pecuniæ lucro inhiant omnes æmulaturi tales Chyrurgos caſtrenſes, quales per unum eundemque Pectinem milites avidos tonderi tondent omnes, id quod ex errore vulgi communi eſt Martiale, idemque furioſum & carnifice dignum homicidii genus, ſanguinem humanum nefarie perdens, furibunduſque abuſus Purgantium ad corrumpendum bonum humorem nutrientem, vel ſuccum alibilem & Chylum, & laxantium Apozematum, mortiferarum & ſyrupatarum hordei decoctionum, quæ ſunt & Fomentationi & refrigerant, quibus maximam partem vaporantia Matis Venena in flam-

mam

mam necis afflantur, verum etiam Spiritus ac Anima afflantur, atque per eorum cauſantes Putrefactiones Venena multa procurantur atque generantur, quemadmodum omnium manifeſtiſſimè comperias atque deprehendas, quotieſcunque conſimiles præſtigiatrices actiones τῶν *Okos Bokos* exercentur in Morbis venenoſis, Peſtilentialibus; Eryſipelatibus, Variolis, Morbillis, Anginis, Aphthis & Dentium propulſione infantium, ubi profecto multis viris vegetis in Puerperio Medico moriendum eſt, quorum in Sepulchris familiares ac hæredes non inveniunt, quæcunque in ipſorum corporibus recondita fuerunt: quare nobiliſſima noſtra Chymia ſive Pyrotechnia eſt vere digna, quæ ſummopere ab omnibus ametur amantibus corporis ſanitatem mentiſque recreationem. Hoc namque prævio confeſtim talis illuceſcit dies, quali Ars Fermentationis vitrea, multas egregias Metallorum Animas, per formoſas ipſorum Tincturas in conſpectum dabit explendeſcentes, per quarum *Radios* τεχνικῶς ſeparatos miranda patrabis in cunctis fixis Morbis ſcientiiſque. In cujus metallici Fermenti indole ulterius ac uberius deſcribenda meo jam animo non ſedet immorari, atque cunctari: ſufficiat, ſi quis probe ſciat verum uſum rerum naturæ conſentanearum, prout Paracelſus, preritioreſque reliqui Philoſophi priſci nobis præſcripſerunt, ſcilicet, confectum è Vitro viridi conſpicilium roborat viſum: vitrei autem Rubini Tinctura, Cor confortat. Sapienti ſat dictum de ejuſmodi Tincturis. Separa purum ab impuro.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPUT VI.

Ex Efferveſcentia, prognati Flatus ſecundum indolem partis, in quam incluſi, prout exemplis adjectis, probatur, producunt non ſolum Morbos internos, ut varias oppreſſiones, ac ſuffocationes, ſed etiam varia externa Accidentia incurabilia. 2. Accidentia externa ex eorum Figura cognoſcuntur, Eaque. 3. Malè dividuntur in Apoſtemata Ventoſa & Venenoſa. 4. Figura Apoſtematum provenit à Natura hujus vel illius ſalis, Sulphuris aut Mercurii, juxta Varietatem notatam. Quam 5. obſervavit Autor ex Differentiis contentorum ſuccorum.

IN antecedentibus quoque præter cætera annotatum eſt, quantum damni notabilis contrahere corpus humanum ex Fermento corrupto poſſit, idque maximè ſi quandò in Ventriculo, inteſtiniſque chylus aut alibilis Succus indè una putrefiunt Nam ex illorum inde ortis Efferveſcentiis, omnes contrarios Fermenti Sapores & Odores produci, jam in ſuperioribus ante commeminimus. Quinetiam indè proficiſcuntur multiplicia Venena morbifica, eaque omnia pro ſua cujuſque Nutrimenti corrupti indole, cujuſmodi ſunt Acerba, Acria, Acida, Salſa, Amara, &c. eorumque ſingulorum quodque in ſui peculiaris Fœtoris ſulphurei, Saporis ſalini aut humiditatis Mercurialis proprietate; in quorum namque loco ſe talium Efferveſcentiarum graveolentes ac male ſapientes Flatus includunt, illi ſecundum indolem partis internæ externæve corporis pariunt

non

non tantum multas Oppreſſiones, ac Suffocationes intolerabiles, ſed denique etiam propter infectionem ſuam, multos internos morbos, pariter atque interna ac externa Accidentia immedicabilia: recluſi vero Flatus iſtiuſmodi gignunt ſub Membranulis Cerebri vel in Meningibus, multas *Cephalalgias*, Vertigines, & Epilepſias; in Stomacho, multos anxios Ructus; in inteſtinis, Flatus murmurantes, atque Colicas Paſſiones; In Cordis Capſula, immanes Anxietates, ac Palpitationes; ſub Diaphragmate duras *Oppreſſiones*, atque anguſtantes Sudores præfocatorios; in Utero multas Suffocationes, epilepſias Uterinas, Fluxus immodicos; in Veſica urinaria, multas Stranguriàs, Diſtillationeſque Urinæ ardentes; in Arteriis, *Punctiones, pleuridites*; in Venis multas *Efferveſcentias ſanguinis*, ac inflammationes; in Vaſis lymphaticis, & muſculoſis Partibus, multas volatiles, ac fixas *Chiragras*, Podagras, odontagras iſchiadicas; in Nervorum Pelliculis, multas *Convulſiones*, Spaſmos, & Membrorum Diſſolutiones; inter Pellem ac Carnem denique multas *Punctiones*, Ebullitiones, Pruritus, ac Dolores: eaque omnia juxta indolem memorati illius Fœtoris, aut Saporis infecti à Flatu impraegnato.

Præterea quotidianus rerum uſus nos condocet, quod quandocunque iſtiuſmodi Flatus ſe in membranoſis, vel glanduloſis, vel muſculoſis, ac pelliculoſis Partibus includunt, ipſi quamplurimum pro more ſuæ fortis, ac ſubtilis extenſionis, non tantum multas minime naturales Cavitates, Cellulaſque progignunt, & quum Lympha humectans ſe continuo in talibus colligat, ipſa ſecundum naturam infecti Fœtoris, aut Saporis cum illis confermentatur, atque inde nanciſcitur propriam aliquam vim attrahentem, conſtringentem, præcipitantem, inciden-

cidentem, inſpiſſantem, aut incarnantem iſtius partis, vel ulterius tranſmiſſæ Lymphæ nutrientis prædítæ proprietate Albuminis Ovi, præbet ſe variis viis coagulanda, & poſt ruptionem pelliculaſrum ipſi factarum multas inſanabiles gangrænoſas, necantes juxta ac cancroſas ſcrupuloſaſque Molas carneas generat: Atque ita hæc ſcorbutica maligna corrodentia, mortificantia, inflammantia, ac exulcerantia Symptomata atque Tubera, ob ignorantiam proprii ipſorum Veneni corrumpentis, ſunt à *Medicis Chirurgiſque* tantummodò ex eorum Figura ſeu Signo Signati, prout ſupra de Herbis enarratum eſt, obſervata, atque in duas duntaxat partis diviſa 1. in Apoſtemata ventoſa, 2. in Apoſtemata venenoſa; ac deinceps porrò in Abſceſſum, Ulcera, Apoſtemata longa, rotunda, cava, cavernoſa, patentia, lata, ampla, anguſta, obliqua, recta, brevia, intorta, corrupta, fœtida, calloſa, varicoſa, vetuſta, cancroſa, chronica, moventia: atque hæc omnia ſecundum indolem Putrefactionis propriæ proprii cujuſque venenoſi Fœtoris Sulphurei., aut Saporis ſalini, aut Humectationis Mercurialis. Quod ſi iſtiuſmodi Contubernales inſcitiæ ſcirent Salium naturam, una cum ratione, cur ſuam de ſe det quodvis Sal figuram propriam inter producendum iſtiuſmodi Accidentia ex laudata Figura ſeu Signatura, procul dubio invenirent ſibi apud eos ſpecialia Nomina, puta *Aluminoſum*, Vitriolicum, Arſenicale, Salis Petræ, Salis Armoniaci, Salis communis, Salis Gemmæ Accidens & id genus plura, de quibus ille experientiſſimus Chymico-Medicus Paracelſus permulta egregie ſcripſit, quæ tamen ab inertibus laboremque fugitantibus Aſinis *Galenicis* ſunt ſubſannata, ob quorum propriorum ex hujuſmodi

modi Salibus, Sulphuribus Mercuriiſque Antidotorum, ignorantiam Mediorumque ἀφαιρέσεως imperitiam fuit multis bonæ notæ hominibus mors præmaturius, quam oppetere maluiſſent ſerius, appetenda & obeunda. De iſtiuſmodi autem ſalium Generatione ac Ortu, ego in alio quodam capite nonnulla ſingularia traditurus ſum obſervanda. Teſtari quippe poſſum, meam ipſius experientiam frequentiſſimam creberrimamque, conſcientem, quod ego in memoratis *Abſceſſibus*, ac *Ulceribus* permulta admiranda comperi, ac deprehendi, videlicet in his tenaciſſimum Mellis Succum, in illis quaſi oleoſam Aquam glutinantem, aut Vini fæcem, aut fuſcam Cerebrini coloris Pinguedinem, aut Cartilaginoſitatem, aut Duritiem inſtar milii granulati, aut planè Acrem lactei ſucci dulcis, Aquam flaventem, vel viridem, ſive rubignoſum Linum craſſum, vel tenuem Humorem ſanguineum, vel concretum Lac albens, ſive Lac ſeroſum, idque ex proprietate Salium coagulatorum; multos prætereà puſillos, rotundos trium, quatuor, ſex, & plurium Angulorum Dentiumque lapides leucophæos, ruſſos, candidoſque, quemadmodum etiam ſub Membranulis Nervorum & in juncturis laborantium Chiragra, Podagraque nodoſa, & in Veſica fellea, & in Veſica urinaria reperiuntur, & id genus alia complura.

CAPUT VII.

Exploduntur Saporibus falſo adſcriptæ qualitates 2. Falſitas Graduum in aſſignandis Herbarum qualitatibus notatur. 3. Definitio Saporis ſeu ſalis acerbi, ſeu ſalis Vitriolati: Quod eſt ſal tertium ex duobus contrariis proveniens. 4. Enumerantur Morbi ex ſale hoc Acerbo, ſive Vitriolatico reſultantes; 5. Annotantur Plantæ Sal acerbum referentes. 6. Adjicitur generale correctorium Salis Acerbi. 7. Additur etiam Catalogus Morborum internorum & externorum, ex Sale illo prodeuntium Alphabeticus.

QUum in præcedentibus non tantum ſit facta mentio immanis detrimenti Effervefcentiæ, corrupti Chyli, aut Succi alibilis in Ventriculo & inteſtinis, ſed Glandularum etiam Lymphæ in muſculoſis, pelliculoſiſque partibus, quod iſtiuſmodi Fermentum per infectionem, per Putrefactionem transmutatur in Humorem, pituitam, Bilem atram, flavam, vitellinam, porraceam, æruginoſam, & glaſteam, id quod (ne imperitioribus videamur græcari) idem eſt, ac in Acerbum, Auſterum, Acidum, Acrem, Amarum, Salſum, Pinguem, Inſipidum, Dulcem, ſive Subdulcem, venenoſum Sulphuris Fœtorem, aut Salis Saporem, aut Mercurii Humiditatem, deliberatum mihi fuit adhuc loci latius & accuratius quædam annotare, ac commemorare de proprio eorum cujuſque Effectu ſecundum diverſitatem partium, non vero ſecundum omnia talium Philoſophantium, quales de natura Saporum ſic

ſic judicant & deblaterant: *Sapor auſterus eſt frigidus.* Acerbus eſt refrigerans. Acidus eſt frigidus. Acer eſt calidus & ſiccus. Amarus eſt plus calidus & ſiccus. Dulcis eſt mediocriter calidus. Nitroſus eſt calidus & ſiccus, oleoſus eſt calidus. Salſus eſt calidus & ſiccus. Quæ tamen univerſa non ſunt, niſi ridicula imperitiæ Nugamenta, & futilia inertium ingeniorum Phantaſmata, omni omnino certitudinis veræ veritatiſque certæ Fundamento deſtituta. Quaſi verò in auguſto Naturæ imperio non niſi ſola calida & frigida, unà cum ſiccis & humidis eſſent unum illud centrum, ad cujus circulum omnes omnium Creaturarum proprietates circumvolverentur. Quæ quamvis comperiantur abſurda, abſurdos tamen illos imperitiarum ſuarum Profeſſores æmulantur hi Diſcipuli nugigeruli, qui de Plantarum Natura exarant, earum aliquot eſſe, vel calidas in primo gradu, vel frigidas in ſecundo, vel ſiccas in tertio, vel humidas in quarto, uſque adeò ut mihi viſum ſit dicis cauſa ridendique gratia alibi locorum conſcribere juſtum Catalogum vanarum iſtiuſmodi Nugarum ineptiarumque. Cæterum circa rerum jam recenſitarum proprietates ratione multorum peculiarium ſulphureorum Odorum, Fœtorumve juxta ac ſalinorum Saporum, Mercurialiumque Humiditatum ſeſe longe aliud quid offert conſiderandum. Ex: Gr: Omnis Sapor, nuncupatus acerbus, eſt tale Sal tertium quoddam compoſitum ex duabus differentibus rebus in Natura & Eſſentia, quale nempe ex Sale fixo acido immaturo, & Sulphureo volatili amaro maturo, in unam coaluit ſubſtantiam, in Mercuriali Humiditate ſubtili, & ſecundum requiſita vel potentioris, vel minoris prædominationis Saporis ſalini acidi, aut Odoris, ſive Fœtoris ſulphurei amari, ſunt iſta Salia acerba, etiam in Effectu ſalis

ſalis magis corrodentia, aut ſulphurea, ob Vim anodynam, ſtupefactivam, ſomniferam aut narcoticam, magis obſtruentia, atque inde etiam Paracelſo, *Vitriolica* appellantur. Ex: gr:

Quum conſimile Sal acerbum, prout ex Effectu apparet, in hac vel illa corporis parte hoſpitetur, illud quoque pro more ſuo ſua ipſius Accidentia, ac Morbos progignit. Quia in Cerebri Ventriculis ſuccus fermentativus, in quandam Effervescentiam ſtatuitur, à cujus Vaporibus Lympha rorifera in Glandulis, Lymphaticiſque Vaſis inficitur ſeu polluitur, atque ubi illa adſcenderit humectatum Membranulas Cerebri, ac Meninges, iſthæc non tantum inde inflantur ac extenduntur, ſed, prout anteà relatum fuit, per infectionem horum Flatuum, ab illius Salis ſapore Membranulæ iſtiuſmodi corroduntur, ſulphuriſque Fœtore ductus illorum obſtruuntur.

Quod quum in Membranulis Cerebri reperiatur Radix omnium Membranularum, quibus Nervi ac Muſculi totius corporis omnes inveſtiuntur, & per ſua ſibi appropriata Emunctoria, Ductuſque Lympham roriferam nanciſcuntur, ideo propter conſenſum Cerebri membranula omnia Oſcula Vaſorum Lymphaticorum, vel Ductus, & Emunctoria Muſculorum, Nervorum, ac Pellicularum indè corroduntur, Tumore inflantur, excoriantur atque obſtruuntur. Adde quod quum per conſequentia pro indolé iſtius partis corporis in cujus Ventriculo Fermentum præcipitatur, Calor nativus unà extinguatur, ſive ſuffocetur, & Succus alibilis, ſive roriferus exſiccetur, idcirco talis pars non tantum Dolore corripitur, ſenſibilitate deſtituitur, vel Morbo ſeu Acciden-

cidentibus cruciatur, verum etiam radicaliter mortificatur. His conſimiles Salis acerbi, ſive Sulphuris vitriolati Effectus, comperias quoque in compluribus aliis rebus, ut in *Apio*, Bardana, Coriandro, Cicuta, Cynogloſſa, Hyoſcyamo, Mandragora, Opio, Papavere, Solano ſomnifero, Tabaco, & compluribus aliis ejus generis enumerandis; maximè verò, ſi quandò fœtentes conſimilium Effervefcentiarum Flatus narcotici per obſtinantem Naturam ſuam ſemet ipſos in Cerebri cellulis includunt, neque viciſſim indè foras erumpunt; ſed Membranulas Cerebri tumefaciunt, atque inflammant, tunc quippe totum corpus vehementi Febre turbatur, & pro ſua indole quæque partes, ex quinque ſenſibus organicæ ſuam Vim ſenſitivam, Officiumque perdunt: Ita ut quis Umbram rerum omnium reflectentem ſpectet vel perperam, vel nequaquam, & Echo alicujus rei ſonoræ audiat, vel vitioſè, vel nulla omnino ratione, & inter edendum, bibendumque nullatenus Nutrimenti ſapidi Saporem ſapiat, & nullum prorſus, vel gravem Fœtorem, vel ſuavem Odorem odoretur, & Attactus prorſus nullos, ſive titillantes, ſive dolorificos ſentiat, uſque adeo ut iſtius hominis Memoria non tantum taliter affligetur, ut cuncta & viſa, & audita oblivifcatur, ſed indè etiam generetur *Capitis* Tremor, quod eſt proprium præambulum Paralyſis, imo vero ipſa Hemiplexia & paralyſis, tota cum Stupore & Tortura Oris: Item Morbus Sonticeus, Morbus anceps, morbus acutus, languor Virium, Febris Lypyria, Furor, inſania.

Tametſi autem hoc fœtens Sulphur Narcoticum Salis acerbi non eſt nimis forte, ſed auſterum in ſuis intumeſcentibus humorum Effectibus Cerebrique rheu-

rheumatibus; illud tamen procreat multa gravia, ac laſſantia Somnia, ſoporanteſque Morbos, quos vocant *Somnos profundos* vel Succubos, ut & incubos, atque inde etiam habentur ſtertentes; ſemiapertis Oculis, & ſemiclauſo Ore, itemque inde quoque poſt plurimas paſſiones prioris aut poſterioris Cellulæ Cerebri propullulant Coma, Caros, Lethargus, Delirium, Deliquium animi, ſtupor, Torpor, Tremor, oſcitatio.

Quod ſi ab hoc *acerbi Salis* ſulphurei Narcotici Fœtore Lympha viſcoſa in Vena optica inficitur, inde non tantum ſub mutationis initium oriuntur acutiſſimæ *Oculorum Punctiones*, atque *Aciei defectus* in Oculis, ſed ſub ejus exitum etiam plurima cæcitatis ocularis genera, Ophthalmiæ cum *Suffuſionibus Atris*, ac *Leucophæis*, & in Dentium radice fiunt dentium ſtupores, Odontalgiæ, ſi etiam Glandularum, Linguæ, ac Laryngis Lympha ſimul inficitur, indè in Muſculorum Stupefactione, ob Vim ſentiendi exemptam prógignitur non tantum difficilis, diſſoluta, ac quandoque intumeſcens Lingua, pariter atque cancroſa Vulnera, verum etiam *balbutientes*, ingraveſcentes, impeditæque Loquelæ, uſque adeò ut non ſemel ex loquacibus fiant elingues. Denique fiunt *Excoriatio Palati*, Uvulæ, Linguæ, Ulcus Gingivarum, Apoſtema Tonſillarum, purulentæ Aures, Maxillarum Phimoſis, Achores. Iſta autem non tantum in Glandulis Aurium producunt ſanabile Veſani ſuſurri Genus, ſed etiam Tuberoſitates, Scrophulas, quaſi Scrophulas, nec non multas fœtentes Exulcerationes, copioſumque profluvium Humoris multi coloris, Aurium tarditas, ſive Auditus gravitas, Ulcus Vermicoſum. Iſta etiam in Colli & Juguli Glandulis, progenerant *Scrophulas*, Exulcerationes, *Aphthas*, & Anginas, Columellæ inflammationem,

tionem. In Naſo ex iſtis etiam proveniunt mulit flatulenti *Tumores*, Narium Fœtores, Polypi ſive Ozænæ non exulceratæ. In Glandulis Pulmonis, etiam in Aſpera Arteria, ſive Canali reſpirationis, comperias multas ſiccas vaporoſaſque Tuſſes, Difficultates ſpirandi Suffocationeſque, atque tandem etiam Corroſiones, atque Exulcerationes quæ ſæpiuſcule *Phthiſin* progenerant. Quum igitur ibi Sanguis putrefactus ſuffocatuſque, Venas corrodit, exſcreatur, ut plurimum non niſi *Sputum* cruentum purulentumque mixtum cum Sanguine. Quod ſi indè Lympha Capſulæ Cordis inficitur ac inflatur, illa inflammatur, atque coagulat Sanguinem arterioſum, undè continuo exoriuntur multæ *Lypothymiæ* & Angores, Cardialgiæ, & Vomitus deſperatus, Febris ardens continua, pandiculatio, ſive membrorum extenſio. Iſta verò in Meſenterii Glandulis procreant multas Obſtructiones atque in Vaſis Glandularum multa ſcirrhoſa Accidentia.

Quandocunque verò iſta ſe immiſcuerint in Lympham, que irrigare tenetur partes liquidas Nervorum, juncturarum & Muſculorum majorum ac minorum in Brachiis, Cruribuſque iſtiuſmodi progignunt, inter illa Profluvia, multas *doloroſas inflammationes*, Ventoque inſpiratas exonerataſque, quæ tandem Lympha affatim implentur, qualia quidem paucis mediis augendi & fovendi, ſive lavandi ſub Catharris evocanda ſunt, niſi quis eadem Plebotomo aut Corroſivo aperire maluerit, quum verò ſæpenumero *Tabiditatem*, extinctionem membri affecti, Gangrænam, Impetiginem, Phlyctenas, Papulas ex prurigine ibi comperias, uſuvenit, ut indè frequenter enaſcantur malignæ immedicabileſque Gangrænæ juxtà ac Oſſis Caries, quæ ſi immigraverint uſque inter Pellem & Carnem, per crebro inde progene-

generantur, aridum Membrorum, Scabies volatica, Herpes miliaris, & univerſalis ſive Puſtularis, Ulcera phagedænica pariter atque fœtidiſſima Capita, Ulcera antiqua, putrida, cancroſa Ani, Penis, Virgæ, Scroti, etiam fiſtuloſa, & Hæmorrhoides Ulcera umbilici; Urachi, Apoſtemata Mammarum, Excoriatio Coxarum Infantium.

Quod ſi talia Terrore comite nimis properentur in Glandulas ſub Axillis in Dentibus, & uſque poſt Aures prorumpant ad hoſpitandum, continuo ibidem ex iſthac virulenta infectione naſcuntur non tantum ſuppurantia Ulcera, verumetiam Carbunculi, ſive Piperina Veſicæ epidemiæ (ut vulgo vocant) Grana, Eryſipelates, una cum Febribus furentibus, aliiſve Peſtilentibus accidentibus; ſive Bubonibus apertis. In Arteriis ac Venis talis Sapor fœtens, narcoticus efficit multum vitiati ſanguinis, qui in Venis exilibus non ſat commodè circulatur neque ſat recte poteſt tranſire Valvulas, unde non ſolum ſæpè fit, ut propellatur ſanguineus Sudor, Morbus Hircoſus, ſed utpote qui ſit perquam ſiccus, craſſus, ponderoſus, ac concretus, qualis à Natura expellitur, undè progignuntur contagiones, Morbi palabundi, fluentes, Patrii & contagioſi, denique in partibus corporis multis multæ rubentes *Maculæ*, grandinoſæ, multaque ſpiſſa *Ulcera* purulenta, ſanguinea, qualia continenter comitatur talis Febris venenoſa ardens, quali inter dormiendum laborantibus de nocte procreantur multa moleſta ſoporantia, fatigantia, ac territantia inſomnia diabolica, Hydrophobia, Lycanthropia, etiam *idioſyncraſia*, ſive Animi Timiditas, haud ſecus ac ſi in ſe ingurgitaſſent, vel Theriacale Opium, vel Hyoſcyamum, æque atque de die multa etiam immania Phantaſmata irrationalia pariter atque gignentia varias

Triſti-

Triſtitias inevitabiles; unde Fermenta partium corporis omnium præcipitantur, atque ex conſequentia Color nativus ita extinguitur, ut elangueſcentibus delaſſati exhauſtique corporis Viribus, non tantum Artus omnes contremiſcant, ſed etiam in Paralyſin incidant.

Correctorium prædicti Salis Acerbi (Vitriolati,) ut etiam Auſteri, (Aluminoſi) Ecce præbent tibi, Lector, ſequentes Herbæ Mercuriales: ut

Accipitrina, Alſine, Anagallis, Anguillariæ, Apricoſæ, Auricula Urſi: Atriplex
Baccabungia, Bellis, Borrago, Bugloſſa, Burſa paſtoris, Braſſica, Beta, Blitum,
Centinodium, Chondrilla, Cichorium hortenſe, Craſſula major, *Cucumer.*
Dens Caninus, Dens Leonis bulboſus, *Datura.*
Echion, Endivia, *Ephemerum*, *Erigerum*, Eryſimon, — Galeni, — Theophraſti.
Ficus, Fontilappathum puſillum, Fragaria, Fragæ, Frambuſæ,
Glandiolus cerianthicus, Graminis radices, Gram: fluviatile, — milii ſylveſtris, — pratenſe.
Hepatica aquat: — nobilis, Hæderula, hydrolappathum, Hippolappathum, Hieracium
Jacea, illecebra, ireos paluſtr: lutea, *Ireos* Variegata, — Vulgaris, juncus,
Lactucæ variæ ſpecies, Lens aquat: Lenticula paluſtris, Lingua Serpentis, Lyſimachia
Malabathrum, malva, Melo, Melopepo, Mellugo, Milii variæ ſpec. Muſacarii Var. ſp.
Narciſſus Var: ſpec: Nummularia, Nympheæ albæ, Nympheæ Citrinæ.

Olus album, — aureum, — denticulatum, Ornithogalum Var: ſpecies.
Papaver album, Pepo, variæ ſpec: Phalaris, Pinguicula, Plantago var: ſp: Portulaca, primula Veris, prunella, Pyromelo.
Quinquefolium fragiferum, — Sylveſtre.
Reſeda, Ranæ morſus, Roſæ radix, Rubus.
Sagittaria, ſedum, Senecio, ſigillum Salomonis, Sonchus, Spinachia, ſtellaria,
Telephium, Tragopogon, Trifolium, aquat: — hortenſe, Triticum Ponticum, — Sylveſt.
Vaccinium luteum, Vermicularis, Viola hort: — Sylv: Vitis folia, Ulmaria, Umbilicus Veneris aquaticus.
In Regno Minerali, ſunt Saccharum Jovis, Sacchar. Saturni.

Index hujus Capitis Morborum à Sapore Acerbo (Vitriolato) ex Auſtero (Aluminoſo) Proflentium Alphabeticus.

Accidentia Scirrhoſa, Achoris, Aciei defectus, Angina, Ani cancroſa ulcera, Aphthæ, Artuum tremor, Aridum Membrorum, Auditus gravitas, Aures purulentæ, Aurium tarditas.
Bubones, Bubones malignæ.
Caloris Nativi extinctio, Carbunculus, Capitis tremor, Capita fœtidiſſima, Cardialgia, Caros, Cæcitas oculor: Coma, Corroſiones phthiſin progenerantes, Colli glandularum Scrophuli, Colli exulcerationes, Contagiones, Coxarum infantium excoriatio.
Deliquium Animi, Delirium, Dentium Stupores, Difficultas ſpirandi.

Elin-

Elingues, *Eryſipelas*, *ExtinctioMembri affecti*, *Exulceratio Scroti*,

Febris ardens, — *Venenoſa ardens*, — *continua*, — *Furens*, — *Leupyrya. Fluxus ſanguineus*, *Furor.*

Gangræna ex prurigine, *Gingivarum Ulcus*, *Glandularum Colli* Scrophuli, *Gland: Colli exulcerationes*, *Glandular: Pulmonis tuſſes ſiccæ*, *Glandularum Meſenterii obſtructiones*, *Grana pipiperina.*

Herpes miliaris, — *puſtularis*, — *univerſalis*, *Hæmorrhoidum ulcera*, *Hemiplexia*, *Hircoſus morbus*, *Hydrophobia*

Idioſyncraſia, *Incubus*, *inflationes* Doloroſæ *muſculorum*, *Inſania*, *Inſania diabolica*, *Inteſtinorum eroſco*, *Impetigo*, *juncturarum doloroſæ inflationes.*

Languor Virium, *Lethargus*, *Linguæ tumor*, *Linguæ excoriatio*, *Loquelæ balbutientes*, Lypothymia.

Maculæ rubræ, *Mammarum apoſtemata*, *Membrorum extenſio*, *Meſenterii obſtructio*, *Morbus palabundus*, *Morbus fluens* — *patruus*, — *ſonticus*, *Muſculorum inflationes doloroſæ*,

Naſi fœtores, — *tumores flatulenti*, *Nervorum pellicularum profluvia*, *Nervorum doloroſæ Inflationes pellicularum*

Oculorum punctiones, *Odontalgia*, *Ophthalmia cum ſuffuſionibus atris* & *Leucophæis*, *Oſcitatio*, *Oſſis Caries*, *Ozænæ non exulceratæ.*

Pandiculatio membrorum, *Paralyſis*, *Paralyſeos præambulum*, *Paralyſis tota cum ſtupore* & *oris tortura*, *papulæ*,

Phlyctænæ, *Phantaſmata irrationalia*, *Phimoſis maxillar.*

Penis cancroſa ulcera, Peſtilentialia *accidentia*, *Piperina grana*, *Polypus*, *Profluvia doloroſa*, *Profluvia humoris multi Coloris*, *Pulmonis ſuffocationes.*

Sanguinis arterioſi coagulatio, *Scabies Volatica*, *Scroti Cancroſi exulcerationes*, *Scrophulæ quaſi Scrophulæ*, *Somnus profundus*, *Sputum cruentum & purulentum*, *Stertentes ſemiapertis Oculis ac ſemi-clauſo ore*, *Stupores*, *Succubus*, *ſudor ſanguineus.*

Tabes, *Tonſillarum apoſtemata*, *Torpor*, *Tremor* artuum, *Triſtitia inevitabilis*, *Tuſſis aſperæ arteriæ*, *Tuberoſitates.*

Venularum Capillorum *eroſio*, *Veſani ſuſurri genus*, *Veſicæ ulcera epidemia*, *Virgæ Carioſa ulcera*, *Vomitus deſperatus*, *Ulcera ſuppurantia*, — *phagedænica*, — *putrida* — *fiſtuloſa*, — *Fœtentes*, — *Spiſſa purulenta*, *ſanguinea*, *Umbilici*, *Urachii* — *Vermicoſa*, — *Cancroſa*, *Uvulæ excoriatio.*

CAPUT VIII.

Definitio Saporis Auſteri. 2. *Exempla differentiæ Salis Auſteri & Acerbi.* 3. *Enumeratio morborum ex Sale Auſtero provenientium.* 4. *Additio Correctorii generalis Salis hujus Auſteri & Acerbi.* 5. *Catalogi Alphabetici Morborum in & externorum ex hoc ſale prognatorum.*

OMnis ſapor, dictus Auſterus, eſt quoque Sal tale tertium, quale compoſitum ex rebus duabus Natura Eſſentiaque differentibus, nempe ex fixo Sale

Sale acido immaturo, & Sulphure amaro dulci, in aliqua humiditate Mercuriali dulci concrevit in unum corpus, atque ideò ſecundum requiſita potentioris minoriſvè prædominationis Saporis ſalini, acidi vel *Fœtoris* ſulphurei dulcis ſunt hæc Salia auſtera quoque in *Effectu* ſalis, magis corrodentia, & Sulphuris magis obſtruentia, undè & iſte Sapor dicitur eſſe Aluminoſus. Quum igitur illud in paucioribus gradibus corroſionum, Salium, & obſtructionum Sulphuris à præmemorato Sale acerbo, vel vitriolato diſcernatur, præter illam neceſſitatem actum ageremus, ſi nos compluſcula, jam in medium allata latius ac inflatius adhuc loci repeteremus. Quemadmodum enim hic ego illud tanquam Aluminoſum oppono Vitriolato; ita etiam in Vegetabilibus oppono, puta, ſicut effectus Folii Indi, Papaveris vulgaris, Ligni Rhodii eſt adverſarius Opii crudi, vel effectus Ammi, Pſeudoammi, Croci orientalis adverſatur Mandragoræ, vel effectus ſeminis Coriandri, florum Aurantiarum, Ambræ griſeæ reperitur contrarius Hyoſcyamo ex vi ipſorum Sulphuris dulcis cum Salis acidi mixtura.

Atque ita hoc Sal auſterum, ſive Aluminoſum, eſt etiam Narcoticum adſtringens, conſtringens, contrahens, unde etiam omnes membranoſæ, nervoſæ, muſculoſæ, & fibroſæ Partes pati neceſſe habent, prout commemoratum fuit, ab effectu hujus Salis. In eo etiam peculiariter differt, quod nimirum ipſum Virtute ſui Sulphuris dulcis in Partibus Glanduloſis longe plures Accreſcentias, Excreſcentias, Tumoreſque Scrophuloſos producat, quibus tam pauca medicinalia medentur Remedia, ut potiſſimum implorent opem Chirurgiæ ſecantis.

Quumque eorum Febres potius oriantur ex dulcicula Humiditate ingrata, quam plerumque co-

mitatur fœtens internecinus *Sudor dulciculus*, atque Urina mixta tenaciore, ac glutinoſiore Limo multo conſimilibuſque pluribus, ego cenſuram ſuper effectum hujus Veneni mortifici relinquo illius judicio, quicunque vult eſſe, atque haberi inſignis Medicus Practicus naturalis.

Correctorium ſpeciale hujus ſalis auſteri, quære in Capite præcedenti.

Index Morborum. Reſpice de eo idem Caput præcedens.

CAPUT. IX.

Propinatur Lectori 1. Deſcriptio Salis acidi diſſeriturque ſimul, 2. De ejus Natura 3. Diverſitate & 4. Scaturigine 5. Fermentum ſanguinis promovetur ab Odore acido. 6. Ejus verò Effervescentia à ſulphure amaro, quam 7. viciſſim præcipitat ſapor acidus, 8. Solius acidi eſt ſulphureos atque Narcoticos odores Fermenti ope præcipitare 9. Utiliter adhibentur acida in Morbis ferventioribus contra ſitim. 20 Enumerantur Morbi 11. Acidum inter præcipitandum ſibi ipſi mortem conſciſcit 12. Varius modus Corrigendi humores acidos exhibetur, cum Indice 13. Morborum omnium.

OMnes Sapor acidus fixus, ſive Fœtor, ſive Odor volatilis acidus, eſt quoque Sal tertium compoſitum ex duabus rebus diverſæ Naturæ Eſſentiæque, nempe ex *Sale acri* prædominante, atque ex Sulphure amaro fixo, in humiditate Mercuriali ſub-

ſubdulci, in tale Sal acidum per digeſtionis tempus eſt taliter converſum, ut ſecundum prædominationem Salis hujus vel majorem vel minorem, in Sulphur evaſerit, illud quoque corrodens, ut poſt prædominationem Sulphuris hujus, vel majorem, vel minorem in Sal illud quoque evaſerit, perquam fœtens, ſive graveolens ut in latrinis, uſqueadeò ut hunc *Saporem acidum*, permulti jure judicaverint, eſſe Salem Tartareum. Conſimilis plane generis Salem acidum comperias quoque in omnibus corporis noſtri Ventriculis, inde ſalſus Chylus, ſalſa Urina, ſalſus Sudor, Sanguis, Caro, & Oſſa, imò ipſa Alvi Excrementa, ut & Aurium Sordes, & pro indole eorum diverſa, diverſitatem quoque Acoris, vel fortioris, vel remiſſioris, atque plerumque ſcaturit, ex quadam Glandularum Lympha dulci talis diſpoſitionis, ut facile convertatur in ſubdulcem, quamprimum nempe ipſa ex ſuis Glandulis, in aliquod Vas, ſeu Ventriculum profunditur, ubi Fermentationem tranſmiſſi Humoris nutritii fieri neceſſe eſt, prout omnium manifeſtiſſimè conſpicias, ſi quis hujus generis Succus Pancreaticus penes Fel ſe per ſuum ductum in inteſtina infundit, quod tunc ibi confeſtim gignatur Acor ex hac mixtura, qualis illico Cibos, e Stomacho digeſtos fermentat, ad præparandum Chylum, & ad ſeparandum Nutrimentum, à craſſiore. Quemadmodum igitur hic fermentativus neceſſarius Sapor acidus, in his aliiſque Ventriculis Fermentum magis promovet, ità etiam Odor acidus in Arteriis à Venis Sanguinis circulantis promovet Fermentum. Quod ſi præ Sulphure amaro illud nimiopere effervèſceret, illud præcipitavit Sapor acidus, prout videre eſt in gravioribus Animi deliquiis inde ortis, ubi ſimul atque Patienti Acetum dederis olfaciendum, tangen-
 dum,

dum, vel bibendum vel ſaltem Acidum Citri, vel parum Aceti vinarii in Ore ſumendum, languens ille Homo extempore non tantum refocillatur, ſed etiam confortatur: Maxime verò, ſi in hunc vel illum Corporis Ventriculum penetraverit aliquis humor nutritius cum Fermenti Natura pugnans. Quum verò illud ſæpius ex ſumpti Cibi potuſvè, *Sulphuris* & *Salis Mixtura*, in quodam nimis prædominante *Mercuriali humore* ſit ortum ac proinde evaſerit quadantenus inſipidum, nauſeoſum & dulciculum more leviter putreſcentium, illud per Acorem quendam perceptum, quaſi ſalitur, atque in ſuo *Fermento* reſtauratur, & *Sulphuris* Putrefactio, vi reſiſtendi extinguitur. Quinetiam ſolius Acidi proprium eſt, omnigenos *Sulphureos*, Narcoticoſque Odores, ac Fœtores noxios præcipitare, ope Fermenti, quo omnium Viſcerum Obſtructiones, tanquam cauſæ primariæ auferuntur. Quippe hæc ſola exſtat ratio, cur in Morbis ferventioribus Acida ad reſtinguendam ſitim adhibeantur perquam utiliter, puta, quum ipſa præcipitent omnia inflammantia Sulphurea, oleoſaque Salia volatilia, & Fermentum corruptum in actum priſtinum reducant: Veruntamen, ſi quis, quandò materia morbifica ex Acidis Fœtoribus, Saporibuſque conſtaret, etiam tunc Acida adhibere præſumeret, ille omnia Vulnera, Morbos & Obſtructiones foret aucturus, & in maligna ſua Natura efferveſcente confortaturus, & omnes nutrientes Lymphas coagulaturus, inſpiſſaturus & Efferveſcentes redditurus, atque non tantum multa ineffabilia Accidentia corrodentia, ſed etiam in Stomacho, & Inteſtinis, ſub Diaphragmate compluſculos tales angentes intendenteſque Flatus procreaturus, qualibus inter reſpirandum tam Cor, quam Pulmo comprimuntur, atque anguntur.

Quod

Quod ſi memoratarum acidarum Effervеſcentiarum Flatus cum ſuo *Odore*, Fœtore, ac Sapore, ſe proripiunt, uſque inter Membranulas Cerebri, vel in Meninges, iſtiuſmodi inde non ſine inſigni dolore extenduntur, contrahunturque, à cujus Cerebri Membranulæ Fibrarum, Tortura, omnis ſubſtantia, atque cuncta hnmanæ faciei Lineamenta efflictim trahuntur atque turbantur, & modo expalleſcunt, modo inſtar flammarum rubeſcunt, prout & inde à Cerebri Membranula ſuppreſſa per fibras, & Nervos propter conſenſum Membranularum, & Muſculorum ſuperiorum, & inferiorum, externorum, & internorum memorati *Flatus incluſi*, per omnes partes corporis Turbationem immanem concitant: præſertim verò in Stomacho ſentitur dolor, & Ardor vehementiſſimus. Quando enim illi ſe per Poros obſtructos exonerare nequeunt, tunc ibi non tantum ex Repercuſſione, & Retentione multæ Suffocationes Mortales progignuntur, verum etiam ex Coagulatione lymphæ peracida, maximè ſi talia Acida in Meninges penetraverint, enaſcuntur ex illius Salis ſubtilium Fibrarum Tortura, non tantum Melancholia, Cephalea, Syncope, phrenеſis, judicii extinctio, Obliviones, & Furiæ, verum plerumque etiam diuturni Dolores ſinè intermiſſione Epileptici, Lunatici, Puerilli, & Viridelli, cum Diſtenſione Oculorum, Crepitu dentium, Clauſura Manuum, & Prodeactione ſive tremore Pedum, pariter atque Spaſmo, ac Contractione Nervorum, Tendinum, Muſculorum & Ligaturarum, nec non totali Contractura, ac Diſſolutione Membrorum. Quod ſi conſimiles inficientes Fœtores acidi, ſe in anteriorem Cellulam Cerebri incluſerint, illi procreant non tantum Fibrarum Contractionem, verum etiam

Tumorem, ac Intemperiem illorum tantam, ut officio ſuo defungi ſuperſedeant; undè ab uno capitis latere ſuboritur Dolor internus, quo Facultas intelligendi adimitur, & quies nocturna impeditur; undè mox ex conſenſu propullulant Vigiliæ, Amentia, Paraphreneſis, ſive Mania, aut Hemicrania, Defluxiones oculorum, Narium, Oris, Dentium, Aurium & aurium ſibilus & id farraginis morbi alii complures.

Conſimiliter nos contemplamur miſerrimos indè oriri Morbos, ex Uteri ſuffocatione, vel ſuppreſſione, quandocunque illorum Lymphæ effervefcentis Flatus, Vapore Acido ex conſenſu cum Membranulis Cerebri, tam ſubito erumpunt, ut inde mira Tormenta, Cephalalgiæ, inordinatum menſtruum, ac Epilepſiæ uterinæ procreentur; Quippe tanta eſt hujus mali Vis, ut ex iſtis Convulſionibus Glandularum Laryngis exprimatur, Naris & Oris ſpuma, ut ea ſpumando, ac ſalivando ex Ore ac Naſo excernatur: quandoquidem totus Ductus nervoſus, nominatim autem Glandulæ Diaphragmatis, ac Muſculi Abdominis, Ventriculi, Cordis, Pulmonis & Venæ Umbilicalis, inde contrahuntur, ac ſuffocantur. Quare etiam ſæpiſſimè per hunc horrendum totius corporis Motùm, ab hac Paſſione hyſterica, non ſine violentiæ magna, Cor æque ac Pulmo puncto temporis ſuffocantur, prout ex vehementi Anhelatione, Spumatione, ac forti Reſpiratione animadvertere eſt. Inde etiam Orthopnœa, Singultus, Suſpirioſitas, Cardialgia, Spaſmus, Spaſ: Cynicus.

Quod ſi memorati Flatus ſe in Renum Ventriculos incluſerint, ubi ſemper exſtat Sal lixiviale, tunc ex utriuſque coagulatione generatur excoriantiſſima Acrimonia, ac Sal alkali, pariens Dolores ingentes juxta ac ſæpius Tumores, unde in eorum eruptione cum

ne cum Lotio, fœtens Materia quædam purulenta, varii coloris excernitur, idque nonnunquam cum ſanguine. Quamplurimum etiam Renes æmulantur lardum, ſi quandò nempè ſe plus ſatis Fellis immiſcet pinguis, abs qua *Corruptionis* Putrefactio impeditur, in Vaſis ſpermaticis fit Onirogmus, ſive Nocturna Pollutio vel Venus imaginaria, in paraſtatibus fit Eroſio ex Gonorrhœa virulenta. Quod ſi ejus generis Acidi Flatus ſalſi, ſe in Veſicam Urinalem incluſerint, progignitur inde *Stranguria*, Lotiumque ſtillatitium. Et movetur Iſchuria deſperata, ſive à Veſicæ inflammatione, Duritia, ſanguinis collectione, Reſolutione lapidis, Procidentia, Ulceratione & lithiaſi.

Quod ſi illi in Arterias ac Venas immigraverint, ab illis Sanguis per circulantem nimio celerius agitationem Efferveſcentiæ, adeò inflammatur, ut ſuis ipſum Refrigerationibus, vel omnes Pulmonis refrigerationes, ac lymphæ Capſulæ Cordis nullatenus ſiſtere valeant, inde & tota *Facies* flammante ſuffunditur *Rubore*, Aures tinniunt ac ſuſurrant, Oculi caligant ac micant, ſanguine Nares crebro ſtillant, atque inde non tantum immodici fluxus Venæ aureæ, Menſtruique procreantur, verum etiam Analepſis. Analeptici quippe omnes perpetuo laborant Melancholia Capitis, incedentes inſtar fatuorum atque prolabuntur humi antequam ſibi commodè opitulari queant.

Quod ſi iidem Flatus ſe in, vel ſub Diaphragmate diſtendant, per ſuam ipſi compreſſionem, non tantum ſanguinem ſuffocant, inde Pleuris ſpuria naſcitur, verum etiam ipſi per fœtentes Efferveſcentiarum ſuarum Flatus ſulphureos, ſanguinem reddunt nimio concitatiorem, unde Cordis Tremores, aut Cardiaca Paſſio, Cachexia, Febres hecticæ, Febres

bres tertianæ, Febr: hectica cum marcore; Morbi longinqui, ſive ſyntectici oriuntur.

Si porrò iſti Flatus ſe cum ſucco rorifero commiſceant, quem pelliculæ ac Membranulæ Cerebri, æque ac majores minoreſque Foſſulæ in brachiis, Cruribuſque inveſtiunt, inde oritur intolerandæ cujuſdam *Punctionis* genus, ac Pruritus, idque tantisper dum iſti ſe ſentiant exoneratos per Poros, ſin verò hi inter Rheumata ſecluſi permanſerunt, contrahunt puſillas fibras carnoſas ſub manu ſitas, atque progignunt ingentem Calorem, ac Fervorem, Flatulentoſque Tumores cum putentibus Accidentibus, ac Apoſtematibus.

Quod ſi memorati flatus in Venam Opticam ſe incluſerint, inde oritur non tantum Viſus conturbatio, ſed etiam vera *Ophthalmia*, aut Apoſtema in Pupilla, aut Albugo oculi, Pelioma & Ægilops, aut etiam Nocturni Oculorum dolores cum lachrymis ferventiſſimis, ingentibuſque *doloribus* in Syncipite.

Sin autem tales Acidi Sapores ſe proripuerint in Fauces, ſive Larynges, procreant per confermentationem ſociam ibidem hoſpitantis lymphæ communiter aliquod Acidum, ex quali Sapore mixto, ac fortius mordente, mox naſcuntur Angina, Squinantia, Cynancha, Gynancha, Paracynancha, Contractio Valvularum, lymphæ ſuffocatio, Fiſtulæ internæ, externæque inſanabiles, & quandocunque Ductus Salivales, ac Glandulæ Oris talem Lympham ardentem effundunt, oritur indè non ſolum Ignitus Ardor adipoſus, quem vulgo *Sodam* vocant, & Concitatio ad Vomitum, ſed ingens etiam Acor, velut Oleum Vitrioli, unde dentes Oris ſtupeſcunt, Gula corroditur, Fauces inflammantur.

Quod

Quod ſi tales ſe cum Lympha Glandularum Aurium commiſceant, à quibus membranulæ Auditus humectantur, iſtiuſmodi non tantum ob Adſtringentem Acidi naturam craſſeſcunt, ſed Malleolorum etiam Auditus Fibræ, veluti Dentes in ore corroduntur, & Membranula contrahitur, unde oriuntur Tinnitus, Surditaſque aut etiam Punctiones, intolerandi dolores, Auriumque denique Inflammationes & Exulcerationes, cum multis fœtentibus corrodentibuſque Humiditatibus fluidis, aut Apoſtemata cum Febribus continuis, & potiſſimum quoque Carnes dolorificæ, unde ſæpenumero ſuperſtites manent inſanabiles Fiſtulæ cum Acore immunditiæ exeuntis cum maximo dolore.

Præthereà ſi à quopiam conſimili Acido Fervore, aut Sapore Humor Pylori, ac Stomachi confermentatur, fortiterque effervеſcens redditur, oriuntur indè non tantum Ardor, ſive Uſtio orificii Ventriculi, ſed etiam Ructus efflictim comprimentes, Colicique in Ventriculo, minutiſque inteſtinis, Tormina alvi, ſive Verminatio, Hypochondriaca, etiam dolor Colicus contumax, & ex conſequentia hujus Colici doloris, abſceſſus inguinis, alvi conſtipatio, verum etiam Fames Canina, ac Lupina qua à laborante Cibus, ac Potus utendus appetitur nullus niſi durus, acidus ac ſiccus, quum autem talia in interius aſſumpta reſiſtant Fermento, corpus indè nil alimenti participat, quandoquidem inde *Chylus* in Ventriculo non conficitur, atque inde corpus totum miſere exareſcit, & Morbus inde prognatus, vocatur ab inſciis, *lienis obſtructio*, & *indurities*, Melancholia hypochondriaca, ſed hæc eſt vera Atrophia ſcorbutica, quippe quoniam

ex

ex percepto Cibo ac Potu omni nihil laboranti reſtat, niſi Pellis ac Oſſa.

Quod ſi *ſuccus Pancreaticus* indè fuerit infectus, ſeu vitiatus, ipſe non tantum officit, ſeu obſtat Fermento Ciborum, in quod ſe infundit, memoratoque modo efficiendi operatur, verum etiam cauſata ipſius Effervefcentia progignit ingentes *Tumefactiones* Ventriculi, Murmurationes inteſtinorum, ilicam paſſionem, colium dolorem cum Ephemera, & Obſtructiones Orificiorum, Venarum Lactearum, Contractiones Valvularum, in inteſtinis, in Vaſis Lymphaticis, & Venis & in Pelliculis Nervorum, & Muſculorum, Alvique Obſtructiones. Quid? quod propter conſenſum Membranularum in tantum Viſus alteratur, ut Oculis videantur obverſari multiplices Colores, exiles Culices, ac Muſcæ, id quod nuncupatur non quidem *Epilepſia*, ſed *Catalepſia*, eo quod ipſius paroxyſmus, paulo ante ſentiatur, quàm quemquam inceſſat.

Cæterum ſi ſuccus Roriferus, ſive Lymphaticus ab hoc Acido Sale inficiatur, quod Cartilagines, Juncturas, Vertebras, Articulationes in Manibus, Pedibus, Cubitis, Fiſſuras Capitis, Oſſis Naſi, Maxillas, mentum, ſcapulas atque Spinam Dorſi irrorat, tunc perſentiſcuntur non tantum multæ Punctiunculæ ſubtiles, ac ictus, & in Capite, quandò iſtiuſmodi pertranſeunt poros, enaſcuntur multæ *puſillæ Puſtulæ rubræ*, Excreſcentiæ, Foramina cutis, qualia nominant Pſydracia & Achores; in facie autem ab illis procreantur multi tales humores Puſtulis duriuſculis, æmuli minuſculis, quales inſunt Leproſis, & nominantur *Junci*, ſive Junthi: in Mento verò ab illis excernuntur tales Puſtulæ, ex qualibus emanat limoſus humor, qualibuſque in Ano creſcunt Ani Cruſtæ, & Rhagades, ſecundum muta-

mutationem loci Lympha glandularum invenit nomen *Sycodeorum* : ſi vero ſe immiſceat cum lympha humectante radicem Unguium in pedibus & brachiis & radice pylorum, inde naſcitur febris quartana, quæ ab antiquis vocata fuit *filia Saturni*, quam ob cauſam hæc febris rariſſime cum medicamentis expellitur niſi cum ſuſpenſis in collum vel ligaturis circa pulſos præparatis ex ſulphureis ſalibus volatilibus & venenoſis. Conſimiliter etiam propter immixtos multos humores flavos inde propullulat gutta Roſacea, lentigo, Morphea & Panus, & prout ante commemoratum fuit ex Fiſſuris Oſſium, & Scapulis propullulare animadvertas, dolorificas Oſſium caries graves multas, quippe quoniam omne Acidum libentius aggreditur partes oſſeas, atque in illis ulterius, ut corrodens ſalis Corpus exedit quam in molliuſcula parte carnoſa, prout etiam hujus Aciditatis ſcorbutici effectus notabilius cernuntur & percipiuntur in corroſione Dentium ipſorummet, quam in eorundem carne agnata. Cæteroquin aperte liquet ex varia rerum experientia, quod omnis Acor ad exedendum, potiſſimum ſibi appetat aliquid Oſſei, vel lapidei, vel ſulphurei, ſe ipſum in duram ſalinam, aut ſubſtantiam lacteam, ſive lapideam inſolubilem exedit velut in Calculis Renum, aut etiam Fellis, aut Veſicæ Urinariæ, aut in multis Scrophulis, omnium tamen luculentiſſime inter Pelliculas Nervorum, Muſculorumque non ſine inſigni Dolore cruciatuque perſentiſcitur, uſque adeo ut Chiragrici, Podagricique de his ſuis Furnis calcariis medentibus, vel integra juſtæ magnitudinis volumina citra riſum omnem conſcribere valerent; Quot ipſis vel duriora, vel molliora Calculorum, ſive alborum ſive flavorum, ſive ruforum, ſive cinereorum genera

ſæ-

ſæpiſſimè in Vultus ſui ſudore ſunt coquenda, haud ſecus atque olim Iſraëlitæ in Ægypto. Rei denique hujus certitudinem nobis affatim confirmat Ars Chymica perdocendo, quod Acidum inter præcipitandum ſuam ſibi mortem comedit ex Sulphureo, ſive Alkali, nam omne Acidum incipit rodere Alkali, & Alkali abſorbet Acidum, & inde fit pugna vehemens, atque ſi etiam in Alkali Sale diſſolutum fuit Sulphureum, ſtatim præcipitatur, ut in Arte vitraria non ſolum videre poſſumus, ubi ab Alkali ſale abſorbetur Acidum Lapidis, & fit Vitrum, item à minio, Ceruſſa, Lithargyrio, & Antimonio fit Vitrum, etiamſi ſpiritus acidus fundatur in Oleoſum per retortam diſtillatum, præſertim verò in præparatione Lactis Sulphuris, Antimonii Sulphuris, aut etiam Tartari Vitriolati, Sacchari Saturni, Lactis Virginis, Magiſteriorum Perlarum, Corallorum, Oculorum Cancrorum, conſimiliumque. Adde quod Aceti ope omnes in Vini Spiritu diſſoluti Flores Sulphuris, Gumm: Benſoi, Storax, Myrrha, Camphora, omneſque Reſinæ Pini, ligni guajaci, Agarici, Scammonei, Gialappæ præcipitentur, inſuper quoque præcipitantur omnes Spiritus Fuliginis, Salis Armoniaci, Sanguinis, Urinæ, pilorum, Cornuum, Oſſium, Unguium, Excrementorum, &c. idque adminiculo Acidorum, atque pro indole diverſitatis ſpecierum in coagulum album.

Contra acida ſalina Pugnantes herbæ ex ſua Amaritie Sulphurea Nitroſa, & Fuliginoſa Odoris, Fœtoris, ſive Saporis cognoſcuntur.

Herb: Abietis, Abrotani, Abſynthii, Acori Veri rad: Aocr. Moſchat: rad.

Agri-

Agrimoniæ, Aloës, Angelicæ rad: Aurantiar. cort. ex flor: Ariſtolochiæ Cavæ, — Longæ — rotundæ, Aſteris Attici, Avenæ,

Baccharis rad: Balſami Americani, Baſilici, Betonicæ. var: ſp: Biſtortæ, Botrys, Bryoniæ, Buguli.

Calaminthæ, Calami aquat. Rad. Calendulæ flor. Cardiacæ, Cardui benedicti, Caudæ muris, Centaurii minoris, — major: Chamomillæ Romanæ — Vulgar. Chamædrys, Chamæpitys. Cheiri flor: Chelidonii major. — minoris, Chondrillæ, Cichorii rad: Chynæ Chynæ, Chynæ rad. Citri Cort. flos & ſemen, Cochleariæ, Colubrini ligni, Contrajervæ, Coſti veri Cort: Cuculi flos, Cucumeris cort. Cumini ſemen, Cymbalariæ, Cypreſſi, Cypri rad.

Dictamni, — Cretici, Dauci herb. Doronici rad:

Echi, Endiviæ, Ephemeri Matthioli, Epithymi, Ericæ, Eryngii Var. ſp. Eupatorii Avicennæ, Meſue.

Fœniculi marin. Fœrulæ, Filicis, Fumariæ Var. ſp.

Galbaniferæ, Galegæ, Gentianæ, Gentianellæ, Geniſtæ, Glaucii Dioſc. Geranii Var. ſp. Graminis Var: ſp. Gratiolæ.

Hederæ arbor: — terreſtris Hippogloſſ. Hippolapathi, Hirundinariæ, Hyacinthi fl: Hormini, Hydrolappathi, Hyſſopi Var. ſp.

Jaſmini fl. Jaceæ V. ſp. Imperatoriæ, Ireos florent. — noſtratis Ivæ Moſchat. junci acuti — floridi, Juglandis Cort: exter.

Laburni Lavendul. V. ſp. Lentiſci, Libani, Liguſtri, Lilii convallium, Linariæ Var. ſp. Lupini, Lupuli, Luteæ Cret. Lychnis Var. ſp. Lyſimachiæ, Lycopſis Anglican.

Macis, Majoranæ, Martagi rubri, Marubii alb. — nigri, Matricariæ, Maſtichini lign. Menth.

Criſp. Menth. var. ſp. Mercurialis. Meliſſæ Fuchſii, — urticæ, Millefolii, Myrrhæ, Morſus Diaboli, Myrti — barbat.

Narciſſi fl. Naſturtii var. ſp. Nepetæ, Nigellaſtri ſemen, Nigelli, Niſi rad: Nucis Moſchatæ.

Ocymaſtri, Ophioſcoridon, Origani var. ſp. Opii, Oſyris V. ſp.

Papaveris var. ſp. Parietariæ, Paſtinacæ, Pentaphyllon: V. ſp. Phalangii V. ſp. Perſicor. Nuc. & fol. Petroſelini V. ſp. Phalaris, Piloſellæ, Pimpinellæ, Polii V. ſp. Portulacæ, Pſeudo-coſtus, — dictamni, Pulegii, Pulmonariæ.

Rhabarbarum, Rhapontic. Roriſmarini, Roriſſolis, Ruthæ, — Ruthæ caprar. — murariæ.

Sagapenniferæ, Sambuci ſummitates, Sancti ſemen, Sabinæ, Saniculæ, Saponariæ, Satureæ V. ſp. ſaſſafras ligni. Sumachiſ. Scolopendriæ, Scordii, Scorpodophraſi, Scorzoneræ, Serpentariæ minoris, Serpilli, ſeſamoidis, ſileris montan. Sy. Sorbi ſylv. Spicæ V. ſp. Sperneolæ, Squillæ, Smilacis lævis, Stœchadis V. ſp. ſumachi ſem. Superbiæ.

Talictri, Tamariſci, Tanaceti V. ſp. Taraxaci, Teucrii erecti, Tertianariæ, Thlaſpi V. ſp. Tragni Matthiol. Tragorigani, Tracheli, Tragacanthi, Turritin.

Valerianæ V. ſp. Veſicariæ ſativ. Verbenæ, Veronicæ, Vetonicæ, Victorialis, Violar. V. ſp. Umbilici Veneris, Volubilis, Viticæ V. ſp.

Zedoariæ, Zingibris flavi, Zingibris vulgar.

Balſamus Sulphuris aniſatus, Tinctura Lunæ, Vitriolum purgans.

Index

Index Morborum Acidi Saporis, Odoris, Fœtoris.

Achóres, *Acor ingens*, *Ægilops*, *Alvi obſtructio*, *Amentia*, *Angina*, *Analepſis*, *Ani cruſta*, *Animi deliquium*, *Apoplectici dolores*, *Apoſtemata*, *Ardor ſtomachi*, *Atrophia ſcorbutica*, *Auditus malleolorum Corroſio*, *Aurium apoſtemata* — *Exulceration.* — *Fiſtulæ inſanabiles* — *Fluxus*, — *inflammationes*, — *punctiones*, — *ſibilus* — *tinnitus.*

Capitis dolor intern. Cardialgia, *Cardiacæ paſſio*, *Catalepſia*, *Cachexia*, *Colicæ paſſio*, *Concitatio ad Vomitum*, *Cerebri contractio*, *Fibrarum Contractio totalis*, *Cordis ſuffocatio* — *tremor*, *Cynanche.*

Dentium Corroſio, — *Crepitus*, — *Defluxiones.*

Epilepſia, — *uterina*, *Excreſcentiæ rubræ.*

Faciei rubor inflammans, *Fames canina*, — *Lupina*, *Faucium inflammatio*, *Febris hectica*, — *hectica cum marcore* — *quartana*, *tertiana*, *Fellis Calculus*, *Fibrarum intemperies*, — *contractio*, — *tumor*, *Fiſtulæ inſanabiles*, *Furiæ.*

Gonorrhœa — *Virulenta*, *Gutta roſacea*,

Hemicrania, *Hyſterica paſſio.*

Ilii paſſio, *Inguinis abſceſſus*, *intellectus extinctio*, *Inteſtinorum murmurationes*, *Iſchuria deſperata*, *Judicii extinctio*, *Juncus ſive Junthus.*

Laryngis glandular. convulſio, *Lentigo*, *Lienis obſtructio*, — *induratio*, *Ligaturarum contractio*, *Lymphæ ſuffocatio*, *Lotium fœtens* — *purulentum*, *ſtillaticium*, *Lunatici.*

Mania, *Melancholia* — *hypochondriaca*, *Membrorum diſſolutio*, *Menſtruus fluxus*, *Morbus longævus*, *Synthecticus*, *Morphæa*, *Muſculor: Calculus* — *contractio.*

Digitized by Google

Narium defluxus, — ſtillicidium, Nervorum Calculus — contractio, Nocturna pollutio.

Obliviones, Oculorum caligio, defluxiones — diſtorſiones, dolores nocturni cum lachrymis ferventibus, Onirogmus, Ophthalmia, Oris defluxus, Orthopnœa, Oſſium Caries.

Panus, Paracynancha, Paraphreneſis, Paraſtatum, eroſio, Pedum prodeactio, Pelioma, Phreneſis, Pleuris Spuria, Pruritus, Pſydracia, Puerilli, Pulmonis ſuffocatio, Punctio intoleranda, Pupilli apoſtemata, Puſtulæ.

Renum Calculus, — degeneratio in lardum, — dolores, Rhagades, Requiei nocturnæ impeditio, Ructus comprimentes.

Scrophulorum Calculus, Singultus, Soda, Spaſmus — Cynicus, Squinantia, Stomachi dolores, — Stupor, Stranguria, ſuffocationes mortales, Surditas, Sycodeum, Syncope, Synancha.

Tendinum contractio, Tremor, Tumores flatulenti.

Vaſorum Lymphaticorum contractio, Venarum lactearum contractio, Venæ aureæ fluxus, Venæ umbilicalis contractio, Venus imaginaria, Veſicæ Calculus, Ventriculi Orificii ardor — — tumefactio, Vigiliæ, Viſus conturbatio, Viridelli, Uteri ſuppreſſio.

CAPUT X.

Deſcriptio 1. *traditur Salis Amari* 2. *ejuſdem generis Sal Nitroſum reperitur in Veſica Fellea* 3. *Sulphurea amaritudo reſiſtit Mercuriali humiditati* 4. *Amarities Fellis cum ſucco pancreatico permixta in inteſtinis Fermentum promovet*, 5. *docetur quale Sal generetur ex commixtione Bilis & Succi pancreatici*, *ac* 6. *quæ ſit ejus natura ac Virtus* 7. *Amara & Alkalia adverſantur Acido, & vice verſa*, 8. *deſcribuntur Morbi ex ſale hoc exſurgentes*, *cum ſuo* 9. *Correctorio*, 10. *adjicitur Catalogus Morborum.*

OMnis *Sapor* fixus, & *Odor*, ſive Fœtor volatilis *amarus* eſt Sal ſulphureum tertium compoſitum ex duabus diverſæ Naturæ Eſſentiæque rebus, nempè ex quodam prædominante Sulphure dulci, & Sale auſtero in quantitate perexigua Mercurialis humiditatis inſipidæ, atque per tempus digeſtionis factum iſtiuſmodi Sal ſulphureum. Quinetiam ſecundum vel potentiorem, vel infirmiorem hujus Sulphuris prædominationem in Sal evaſit, iſthoc Sal ſaporis, perquam Amari vel graveolentis Fœtoris, uſque adeo ut omnis Sapor, aut Odor amarus ſit à plerorumque cenſura habitus Sal Nitroſum. Reperitur quoque unius ejuſdemque generis Sal Nitroſum in noſtra Veſica Fellis, eſtque maximè indolis balſamicæ, quippe quoniam Sulphurea Amaritudo omni Mercurialis humiditatis proprietati in corruptionem procliviſſimæ reſiſtit, omnemque corrodentem Salis Auſteritatem mitigat.

Taceo quod ex hoc effectu contubernales ignorantiæ pro ſuo judicio inferent, quod omnis Sapor Amarus ſit calidus ac ſiccus. Hinc non tantum omnis Amarities rerum, verum etiam nominatim Fel in multis corporis Ventriculis, maximè verò in inteſtinis, ubi ſe tale prædominans Sulphur cum ſucco Acido Pancratico infundit, Fermentum promovere juvat, illiuſque operationis effectum prodit, quod ſit detergens, exaſperanſque omniaque efficit, quæ in præcedentibus de Fermenti proprietatibus commemoravimus.

Quamprimum enim Amarum hoc Bilis Sulphureum diſſolutum in Alkali, cum Acido ſucci Pancreatici Salino ſe commiſcuerit, inde fit Sal tertium, communi Sali propemodum aſſimile.

Quapropter & Fermento non minus, quam huic Amaro Bilis Sali Sulphureo potiſſimà hæc Vis adſcribitur, utpote quod ſit incidens, reſolvens, laxans, fluidum reddens, abſtergens, ſive detergens, adeò ut etiam exaſperet, quare quandocunque in hominis ventriculis *Acidum* cum ſua effervescente proprietate nimis prædominatur, adhibentur à nobis extempore Amara, & Alkalia, quandoquidem omne prædominans Amarum Sulphureum contra Acidum ſalinum quaſi Antipatheticè agit tantiſper, dum Acidum illud mortificetur, ac dulcificetur, atque ſibi mortem afferat tale corpus ſalinum comedendo, quale natura ſenſim procul ulla difficultate, excernit per ſua Emunctoria ſive Urinæ, ſive Sudoris, è contrario ubi prædominatur Amarum ſulphur, uſurpatur Sal Acidum.

Hac quoque de cauſa felli adſcribitur, quod promoveat itionem ad requiſita Naturæ, ſeu ſolutionem Alvi, ut *Aloe*, Sudorem ut Carduus benedictus, Urinam, ut Cortex mali Aurantii, Salivam

ut

ut Pyrethrum, & id genus alia complura. In morbis tamen ardentibus eſt maxima cautione opus, inter utendum amaris Medicamentis, quippe quoniam in memoratis idiomatibus omnibus, vel inopinanter contrarietatem quandam illa ex ſeſe proderent, quum jam Amarum in Acidum Pancreaticum Fermentale tam potenter prædominetur, ut illud mortificet, atque ita multa ardentia tubercula cruenta, ſeu ulcera cum febribus Maniæ Genetricibus gignat. Quippe hoc videre eſt, quotieſcunque conſimiles amari Odores, Fœtores, ac Sapores alicujus Plantæ, aliarumque rerum externe olfactarum, aut quovis debito alio modo uſurpatarum ſibi ſedem ſuam capiunt inter Membranulas Cerebri, aut in Meninges penes Effervefcentias penetrant Flatus nonnulli: eo namque ipſo, quo illi ſe immiſcent in Glandulas Cerebri cum ſua Lympha, ingentem perſentiſcas Effervefcentiam, quæ roriferam Lympham vel abſumit, vel exſiccat, unde multæ progignuntur ſpecies morborum *Capitis*, quas vocant Cephalæam, Clavum, Galeam, & Rheuma. Quod ſi tales ſe in Venas, Arteriaſque infuderint, exoritur ob Effervefcentias ipſorum cauſatas repentina quædam Circulatio ſanguinem inflammans, unde non tantum tota præ Ardore *facies* inflammatur, Oculi flagrant, Vultus, & nominatim Naſus redditur puſtulis æmulus, lentiginibus, Papulis rubentibus, Hulcuſculis Puſillis, Naribus rubris, pariter atque multo frequentique *ſtillans* ſanguine, laboranſque iſto pacto, Hæmorrhagia Narium Auriumque, verum etiam in Brachiis Cruribuſque, multæ extuberant *Maculæ* rubentes, Punctiunculis Pulicum aſſimiles, prout conſimilia deprehendas apud pleroſque Scorbuto laborantes: Si verò in Venas immigraverint, quarum Valvulæ plus nimio extenduntur,

progenerantur multi Arteriarum Pulſus aberrantes cum vehementibus Capitis Doloribus à Clunibus ad Cervicem uſque, quippe quoniam in Vena Portæ fit Circulatio nimis fervida, unde Hæmorrhoidum Fluxus, & Menſium profluvium, ut etiam Hæmoptoe.

Cæterum ſi iſtiuſmodi ſe cum Lympha Optica Nervi miſcuerint, inde producuntur multa genera *Caliginis Oculorum*, inde non tantum ſubnaſcitur ſuggillatio, ſed etiam Rubedo in Oculorum albumine cum lachrymis deſtillantibus calidis, & Ardore vehementi, verum etiam varii Viſus vitiati de coloribus vel cœruleis, vel praſinis, vel flavis, ut iridibus.

Quod ſi hi ſe miſcuerint cum ſucco in Colli Glandulis, ſive Laryngibus, pariuntur illis non tantum tales *ingentes* inflammationes, quales fixam ſortiuntur Stationem in Maxillis, unde pungentes maximi *Ardores*, inflationes, ſeu Extuberationes pariter atque crepantes pulſanteſque Odontalgiæ oriuntur, verum etiam in Collo, Ore, ac Lingua, quæ hac Lympha humectantur comperias talem iucredibilem Amaritiem, quali omnis Cibus ac Potus referre videtur Saporem Fellis, abſynthii fuliginiſque Camino adhæreſcentis, uſque adeò ut inde concitetur ingens Ariditas ſiticuloſa, quæ vix extingui poteſt.

Porro ſi talis Amaror ſe cum Succo Nervoſo immiſcuerit huic vel illi corporis parti, omnia Muſculoſa Membra inde ita inflammantur, ut hinc exonerari per Poros quærant. Hinc ille in Brachiis Cruribuſque progignit ingentem pruritum ignitum intolerabileſque Punctiones juxta ac extuberantes puſtulas, interdum cum Febri typhodi.

Deinde ſi iſte ſe cum Succo Glandularum Diaphragmatis commiſcuerit, generatur inde *Sudor grumoſus*, & circa totam Zonæ regionem multa multi caloris ac coloris Exanthemata, ſive cærulea, ſive alba,

alba, ſive flava, ſive rubicundis Maculis æmula quæ difficulter ſanantur, & cumprimis augendo magis magiſque deteriora redduntur Adipe, veruntamen interea loci nonnunquam illa, vel intra dimidium horæ ſuapte ſpontè intercidunt. Si autem hoc Fel dulcificaſſet ex toto Acidum Fermentale, loco memoratarum puſtularum ſuffunditur totum Corpus tanta flavedine, quanta vel in ipſo lotio apparet & appellatur Icteritia, Felliflua Paſſio, Cholera, Regius Morbus, ſive Auriginoſus. Si verò Aciditas ſucci Pancreatici prædominatur, fit Dyſuria, & Diarrhœa cum Vomitu & Febre. Tandem ſi ſanguis in Hepate; ab hoc amari Fellis Odore tentatur, ſeu inficitur, vehemens fit Effervecentia cum ſeroſo ſanguinis, unde Vena Portæ inflatur, & per celerrimam agitationem cauſatam procreatur ingens Pulſatio Capitis & ſuſurratio Aurium, una cum intolerando Ardore febrili. Quocirca ſi ab ipſo ſtatim initio nulla adhibeatur Præcipitatio per acida, communiter inde oritur ſanguinis rejectio, fluxus Venæ Aureæ Menſtruique immodici. Quod ſi Venæ Carotides inde plus neceſſario inflantur ac comprimuntur, progenerantur ex venenoſo illius Vapore multæ febres, Cor excruciantes, unde ſuboriuntur incrementa morborum, profluvium Narium ſive Sanguinis rejectio, multa Deliria, Eryſipelata compluraque Symptomata alia, ut Aſthma & Dyſpnœa: quæ tamen gliſcentes in ſanguine Febres multo ocyus per leviculam quandam Ventilationem curari poſſunt, quam cæteræ ex quadam corrupta Lympha productæ ab Amaritudine venenata.

Horum enim Vaſorum Lymphaticorum Lympha aliquanto temporis interjectu ac tractu per *Sudores* maturanda & ſub hæc per poros aut Urinas expellenda eſt. Hinc in febribus quoque tertianis, quarta-

niſque conſpicias, quod quamprimum per ſudorifera ſpecifica poros ita aperueris, ut inde Lympha glandularum Fœtida corrupta, & ſeparata exoneretur, aut quando ſaltem ſemet ipſam natura exoneraverit) ſe vel in Ore vel in Naſo prodant Effloreſcentia quædam immutationis ſigna leviora quibus febricitans à febre ex toto relinquitur, uſque adeo ut nullis amplius indigeat remediis.

Contra Amara Sulphurea pugnantes Herbæ, ex ſua Aciditate ſalina fixa Saporis, Odoris, Fœtoris, cognoſcuntur.

Acidulæ aq. omnes, Aceta lignorum per ignis Torturam expreſſa, nempè Avellanæ ligni, Fraxini lign: jojaci ligni, Querni ligni, Uvæ granorum & ejuſmodi, &c. Item Spiritus vel Acetum Salis, Sulphuris, Tartari, Vitrioli, Tartarus Vitriolatus, &c. Succus Acaciæ Sylveſtris, Acaciæ Verus, Herb: Acetoſellæ, Acetoſæ Africanæ, — Americanæ, — Anguinæ — Bucephalipheræ — Creticæ, — Hiſpanicæ, — minoris, — Ocymi foliæ — Ovillæ — rotundi folii Romanæ, — Semine aculeato — Sylveſtris Belgiæ — Tuberoſæ, — Vulgaris, Zazynthiæ parvæ, Acidulæ Gallicæ, Arantiarum.

Berberorum ſuccus.

Ceraſorum ſuccus, Citri, Cornu, Cydoniorum.

Flos lactis.

Granatorum ſuccus.

Idæi rubi ſuccus.

Lac butyroſum, Lac ſeroſum.

Meſpilorum, Morum ſuccus, Myrtillorum ſuccus.

Panis Fermentatus, Paſſularum minor: Pomorum acidorum ſuccus, Prunorum Var. ſp.

Racemi

Racemi ſive Vini ſagittæ, Ribæſiorum ſuccus, Rubi ſuccus.

Tamarindarum pulpa,

Vini acetum, agreſtum, —Rhenanum, Uvæ criſpæ baccæ.

APPENDIX.

Etiam conveniunt contra Amara, omnia Mercurialia dulcia facilè in acetum mutabilia leniſſimo calore, præſertim verò plus conveniunt in inteſtinis, quam in Ventriculo, ubi defectus aciditatis ſucci pancreatici neceſſarii ſæpiſſimè invenitur, ad promovendum Fermentationem. Scilicet

Amygdalata ex Nucibus, & ſapores dulciſſimi, Amygdalæ, Anacardiæ fructus, Apricoſi nuces, radices Acus Moſchatæ, Avellanarum nuces.

Betæ rubræ rad.

Cannæ ſaccharinæ, Caſſiæ in fiſtulis, Caſeus recens, Caſtaneæ nuces, Ceraſorum Var. ſp. Cereviſia recens, Ciceres, Coci nuces, Citrulli ſemen, Cucurbitæ ſemen, Cucumeris ſem. Cyclaminis porcini rad. Cynosbati fructus.

Dactylorum fructus. Doronicæ rad.

Fabarum Var. ſpec. Fœniculi ſem. Ficus fruct. Fragorum.

Glandium nuces, Graminis rad.

Hydromel.

Juglandium nuces, Jujubar. fructus,

Lac recens, Liliorum albor. rad. Liquitiæ rad.

Mala ſubterranea, Manna Calabrina, Mannæ ſemen, Mell. Melonum ſemen, Morellorum nuces, Milii ſemen.

Panis

Panis acimus, Papaveris ſemen, Paſtinacæ rad. Perſicorum nucl: Petroſelini rad. Pinear. nuc. Piſorum ſemen, Piſtatiæ nuces, Polypodii rad. Poma dulcia, Pruna Cerina, —dulcia, Pyra.

Raparum albar. — flavarum — rubrarum rad.

Saccharum — Candiæ, Mellis, Thomæ Syrupus.

Typhæ radices.

Vinum Canar: —Gallic. —Hiſpanicum, —Hipolvaticum — Malvat. Vini muſtum recens, Zekli, Uvæ Vinearum dulcium majuſcularum.

Xylocaractæ fructus.

Index Morborum Amari Saporis, Odoris & Fœtoris.

Arteriarum pulſus aberrans, Aurium hæmorrhagia, — ſuſurratio cum ardore febrili, Auriginoſus morbus, Aſthma.

Brachiorum maculæ rubent. — pruritus ignitus.

Capitis dolor Vehemens à Clunibus ad cervicem uſque — Pulſatio, Cephalæa, Cholera, Clavus, Colli glandular. inflammatio, Crurum maculæ rubentes, — intolerabiles punctiones.

Deliria, Diarrhœa cum Vomitu & Febre, Dyſpnœa, Dyſuria.

Exanthemata Cærulea, alb. Eryſipelas.

Febres cor excruciantes, Felliflua paſſio.

Galea,

Hæmoptoe, Hæmorrhoidum fluxus,

Icteritia.

Lachrymæ ardentes, Laryngis inflammatio.

Maxillarum ardor pungens, — Extuberationes — inflationes, Menſium profluvium, Menſtrui inmodici fluxus, Muſculoſorum Membrorum inflammatio.

Naſus

Digitized by Google

Naſus cum puſtulis lentiginoſis, bulcuſculis, Puſillis Naribus rubris, Narium hæmorrhagia, — profluvium — ſtillicidium ſanguinis.
Oculi flagrantes, — albuminis rubedo, Odontalgia. Oris aciditas ſiticuloſa, — amarities.
Puſtulæ extuberantes cum Febri Typhodi.
Regius morbus, Rheuma.
Sanguinis rejectio, Sudor grumoſus.
Tubercula cruenta.
Venæ aureæ fluxus, — portæ inflammatio, Viſus Vitiatus, Ulcera cum Febribus. Vultus puſtulæ.

CAPUT XI.

Deſcribitur. 1. Ex quorum Corporum mixtione reſultet ſapor Acris, 2. merito dicitur Sal Armeniacoſum, quod 3. reperitur etiam in Veſica Urinaria, ac reliquis Viſceribus, 4. Alkali omne acidum ſtatim attrahit, ex qua mixtura oritur Sal tertium Fermentum *corrumpens, Cujus acris Odor 5. profert excoriationes, 6. Carnis mortificatio appellatur ab Autore* IGNIS *ſacer, 7. Valde hoc ſal rodit inſtar piperis, 8. depinguntur Morbi à Sapore acri prognati, 9. adnectitur modus eorundem Corrigendorum, cum indice 10. Morborum Alphabetico.*

OMnis *Sapor Acris* fixus, & Odor volatilis eſt quoque Sal Sulphureum tertium, compoſitum ex duabus diverſæ naturæ Eſſentiæque rebus, puta ex quodam craſſo prædominante Sulphure Fœtido Amaro & Sale Auſtero, atque in quadam Mercuriali humiditate putrida, ac per digeſtionis tempus ſubito converſum in tale Sal Sulphureum

Vola-

Volatile, & ſecundum potentiorem debilioremve hujus Sulphuris prædominationem in Sal eſt illud etiam peracre Urinoſoque Sapore imbutum putidumque. Hinc quoque omnis Sapor Acris merito ac jure à pleriſque cenſetur eſſe Sal Armeniacoſum. Armeniacoſum quoque conſimilis generis Sal comperias in noſtris Veſicis Urinariis, atque in reliquis Corporis Viſceribus, partibuſque. Suam Antipathiam inſigniter exercet cum ipſorum ſuccis, nutrientibuſque humoribus, quales ſucci ſemper in ſe habent Sal Alkali volatile, & quia Alkali ſtatim omne Acidum attrahit, tunc fit ex hac mixtura tale Sal tertium mirabile, quod ipſorum fermentum confeſtim corrumpit, ipſorumque ſubacidam Lympham fermentantem mortificat, putrificat, & in Effervefcentiam collocat; ex cujus Fœtore pariter atque ingenti etiam inflammatione oritur vehementiſſimus aliquis Ardor, exſiccans omnium naturalium Lymphatorum humiditatem, quia non tantum Sanguinem in Arteriis, ac Venis, verum etiam humidum in omnibus Glandulis Vaſiſque Lymphaticis juxta ac ſuccum Nervorum muſculorumque roriferum exſiccari conſpicias. Licet igitur ex Acri ipſius Ardore nos factas contueamur Excoriationes, quod inde non niſi Pellis tanquam à Cantharidibus, aut per Venenum ab Eryſipelatibus cum veſiculis vel ab ipſo igne quaſi tracta ſit, tamen non evenit ſecundum opinationem confabulantium, *omnem ſaporem Acrem eſſe, calidum & ſiccum*, ſed ut ante relatum: Quapropter nos etiam omnem omnium membrorum Carnis mortificationem continuo appellamus *ſphacelum*, qualis intra paucum temporis vel horarum ſpatium ita corrodit, depaſcit, ac mortificat, ut vel oſſa inde denudentur.

De

De cætero Sal tale Acre pro diverſitate ſingularium Corporis partium progignit multos Morbos internos æque ac externa gravia *Fœtentia*, ac depaſcentia Symptomata, videlicet Phagedænam, Carcinoma, Scrophuloſque, valido namque rodit calore inſtar piperis. Quod ſi tales acres Fœtores, ſive Sapores per flatus extendentes ſe inſinuant inter Membranulas Cerebri, vel inter Meninges Cerebri penetrant, hujuſmodi vehementer inflammantur, & deinceps Tumore atque tandem Exulceratione tentantur, unde ſubito exoriuntur febres continuæ, quæ comitem habere ſolent Oris Torturam. Quinetiam inde ſuppullulant Mania, Tiphomania, Phreneſis, ac privatio quietis Nocturnæ, juxta cum intolerandis *Capitis doloribus*. Si autem tales ſe cum Lympha Nervi Optici commiſcuerint, naſcitur inde incredibilis inflammatio totius Oculi, momentanea *Cæcitas*, pariter atque Exulceratio Pupillæ Oculi, qualibus fere nunquam præſentiſſima invenias remedia.

Quod ſi hi ſe Lymphæ Naris Glandularum immiſcuerint, inde oritur non tantum Narium fœtor, & Ulcus Narium, verumetiam Polypus ſive *Ozæna* exulcerata. Si vero iſti ſeſe cum Lympha Glandularum in Gutture atque in Larynge commiſcuerint, inde generantur non tantum majuſcula ac duriuſcula Tumorum genera, verum etiam generatim multa Apoſtemata Lethalia, qualia raro curantur, præſertim vero abſceſſus, circa aures cum ſurditate. Porro ſi Ille per invectionem ſalivæ mixtæ cum perceptis Cibis ac Potu in Stomacho miſceatur cum ſucco Ventriculi, ac Chylo inteſtinorum, progeneratur inde talis immanis intemperies, qualis Fermentationi non parum officit & dolores quaſi ſecantes in ilibus juxta, ac cruciatus in ſubventriculo, unde Lien-

Lienteria & Dyſenteria, aut etiam ingentes Obſtructiones, ex ordinaria ſeu quotidiana itione ad requiſita Naturæ procreantur: Aut denique etiam efficitur, ut à ſatisfacturis neceſſitati Naturæ frequenter excernatur Sanguis ac Pùs. Si autem conſimiles Fœtores ac Sapores Acres ſe immiſceant cum Lympha glandularum Hepatis, Pulmonis, Splenis, ac Meſenterii, illorum Glandulæ in Subſtantia inde inflammantur, intumeſcunt ac Scirrhoſæ fiunt, atque multifariam nocent. Quippe quoniam in Hepate naſcitur non tantum *diſruptio* vaſorum Lymphaticorum, pariter atque tumoratio, & induratio una cum *extenſione* Chordæ umbilicalis, unde ſuboritur hæc ſpecies Hydropis, quæ appellatur *Hypoſarca*; hinc autem quando Parenchyma ipſum corroditur, atque exulceratur, enaſcitur Aſcites, interdum cum Sanguinis rejectione, & febri horrida: ſi quis vero exſcreat ſputum cum Sanguine, tunc nominatur Hæmoptya. Atque in Pulmone, quando ipſius Parenchyma corroditur, exulceratur, conſumitur, & Sputum cum Spuma & Tuſſi purulenta, & Aſthmate conjuncto cum periculoſa unius diei Febre dicta *Ephemera*, quam eveſtigio conſequuntur *Phthiſis*, Atrophia, aut etiam diuturna febris quartana, aut denique inſanabilis febricula lethalis, & fiunt inde ſuſpirioſi, vel Hæmoptoici, denique Tabidi. Sin autem ita fert ratio viciſſitudinis Cœli anniverſariæ, ut Aër multis contagioſis Sulphureæ Terreſtritatis vitioſæ Exhalationibus, putrefactiſque Vaporibus inficitur, quæ per reſpirationem in hujuſmodi Acre mutant Hominum partium memoratarum Glandularum Lympham, illa inficit, tam cum Fœtore, quam cum Sapore, & quum Natura per ferrearum Corporis partium Glandulas videlicet in Collo, ſub Axillis, in inguinibus &c. ſitas

ſeſe

ſeſe per poros quærat exonerare, multa Peſtilentialium Accidentium genera progenerantur, nimirum Peſtis, Bubo, Carbunculus, Petechiæ & complures Tumorum igneorum ſpecies concomitantes, ex quarum corrumpente inflammanteque Veneno multum Sanguinis effervéſcit, atque parientes inſaniam furoremque morbi, ulteriuſque *inficientes Febres oriuntur*, puta Ephemeræ, ut & *Febres* continuæ, *Synochæ*, atque etiam Febres acutæ, ſive quotidianæ continuæ, idque univerſum pro indole partium plurimum infectarum, quarum ſitus eſt Cordi proximus, atque Cerebro; Ut in Hiſtoriis videre poſſumus, Anno Domini 1529. atque etiam nuperrimè anno 1669, ex Febri graſſante per totam Hollandiam, præſertim verò Leydæ Civitatem, ubi omnes fere homines laborabant febri lethali & peſtilentiali: quæ tamen majorem hominum alicujus vel magni Nominis partem abſumſit, minus verò in vulgus graſſata eſt; eò quod hoc jam erat lethiferi illius Fœtoris aſſuetum. Dictus hic Fœtor immani illi ortum dedit, ob exſiccatas ab inſolito, quo terra hæc Æſtate affligebatur, æſtu Aquas in paludes tum quaſi redactas, relictis tantum partibus craſſioribus magiſque fœtentibus, Fœtore hoc aucto ab injectis continenter in Foſſas, pro more gentis, variis excrementis, quiſquiliarumque ſordibus effervéſcentiam aut Putrefactionem Sulphuream venenoſam hanc inducentibus, maximè à Panni- & Lanificibus, ibidem loci ſatis copioſe habitantibus.

Quod ſi conſimiles ſapores Acres ſe immiſceant Urinæ, iſtiuſmodi excoriant illorum ſubſtantiam, unde inter mingendum non tantum immanis dolor ſecans, ſed multa etiam fœtens materia inſtar muci aut Albuminis Ovi, aut etiam ſanguis & quandoque putidiſſimum pus invenitur, unde Renes ſuppuran-

tur. Si autem conſimiles Fœtores & ſapores ſeſe in ſanguinem arterialem cum Lympha mixtim infuderint, iſtiuſmodi progenerant vehementem Effervefcentiam, unde *vultus* totus inflammatur, Caput circumgyratur, Aures tinniunt, Oculi caligant, Naſus ſanguine ſtillat, compluresque pleureſes nothæ inde progignuntur. Porro ſi tales ſe in Lympham capſulæ Cordis refrigerantem immiſcuerint, ſanguis Arteriarum Cordis etiam inſigniter inflammatur, atque per conſequens modo ſupra commemorato ſuboriuntur inde multi *furorem* Phreneſimque gignentes febres cum Arteria mirum in modum errante.

Quod ſi illi cum ſucco Lymphatico ac rorifero cum Effervefcentiæ flatibus mixti immigraverint, unde pelliculæ Nervorum, Muſculorum, Ligaturarum, Fellicularum, Cartilaginum, Oſſium, & juncturarum humectantur, in commemoratis partibus omnibus permultæ celeres Punctiones doloroſæ juxta ac rudes, ſubtileſque Mortificationes perſentiſcuntur; unde complures Corporis Artus in Manibus Pedibuſque facultate ſentiendi deſtituuntur, obtorpeſcunt, atque etiam tremore & *Spaſmo* affliĉtantur. Taceo, quod inde etiam ſuppullulant multi *Scirrhi* ex febribus, quales ſolo cum frigore abſque ullo Calore & incipiuntur & finiuntur. Si vero hoc Sal acre miſceatur cum urinis, ſentitur in mingendo Ardor vehementiſſimus, & denique inde fit Diabetes: Interdum iſthæc cauſantur in Virga ſive Membro virili, Carnis Excreſcentiæ & fungi.

Præterea ſi tales fœtores, cum flatibus mixti inter Pellem & Carnem ſe inſinuaverint, atque Pori plus nimio ita occluſi fuerint, ut ipſi exonerari nequeant, inde propullulant multæ deformes maculæ,

Scor-

Scorbutica accidentia circumrodentia ſeu depaſcentia, atque efficientia multas *ignitas maculas* rubicundas, cum furfuribus albicantibus, etiam phlegmones.

Tandem ſi hi ſapores ſeſe miſcuerint cum humectante Lympha, Membranoſarum in Brachiis Cruribuſque partium, Fiſſurarum Capitis, Naſi, Maxillarum, Scapularum, Vertebrarum, & id genus aliarum cartilaginoſarum, articuloſarumque particularum, inde progignuntur multæ inflationes ſeu Tumorationes, Accidentia incurabilia, aut etiam Oſſium Caries. Præſertim vero inde veniunt, in Ano intertrigines ſive Mariſcæ & thymi, etiam Vulnerum Chironia quæ eorum obſiſtunt conglutinationi.

Contra Acria Sulphurea Urinoſa, Armoniacoſa pugnantes herbæ ex ſua humectante Mercuriali inſipida ſive dulcedine aquoſa. Omnes herbæ agentes contra Acerba & Auſtera etiam hoc in loco conveniunt contra Acria.

Præſertim verò Accipitrinæ, Adianti albi, Alceæ, Anagallis Var. ſp. Anguillariæ V. ſp. Alſine V. ſp. Apricoſæ fructus, Aquilegiæ flor. Auriculæ Urſi Var. ſp.

Beccabungiæ, Brancæ Urſinæ, Baccharis, Bellidis hortenſ. — Sylveſtr. Betæ rubr. Blattariæ, — Borraginis, Braſſicæ Var. ſp. Bugloſſæ V. ſp. Burſæ paſtoris.

Cardui Mariæ, Centinodii mas & fœmina, Ciſti, Citrulli, Cichorii, Chondrillæ, Conſolidæ regal. flor. Caryophyllorum, Colchici Var. ſp. Convolvuli, Croci Var. ſp. Craſſulæ Var. ſp. Cucumeris, Cucurbitæ, Cynogloſſi.

 Dentis

Dentis Canini, Dentis Leonis.
Echionis, Endiviæ, Epaticæ nobilis,
Fabarum V. ſp. Farfaræ, Fontilappathi, Filipendulæ, Fragariæ, Fragorum, Frambuſi.
Graminis V. ſp.
Halem. arboreſcens, Hæderulæ aq. Hydrolappathi, Hippolappathi, Hippogloſſi, Hieracii, Hypericon.
Junci aquat. Iris bulboſa, — Sylveſtris, Judaica.
Lactucæ Leporinæ, Lenticulæ paluſtris, Lilii V. ſp. Lychnis Chriſti, Lyſimachiæ.
Malvæ, Melones, Melonis herb. Meloſaccharini, Mercurialis, Morellorum Muſcarii, Myrtocyſti Pennei.
Noli me tangere, Nympheæ alb. — Citrinæ, minimæ, Nummulariæ.
Oleris Var. ſpec. Ornithogali, Var. ſpec. Ononis, Ocymon.
Parietariæ, Perſicorum fructus, Peponum, Pæoniæ flos. Palma Chriſti, Paſſionis flos, Pinguiculæ V. ſp. Piſorum, Plantaginis Var. ſp. Pimpinellæ, Portulacæ, Primulæ Veris, Var. ſp. Prunellæ, Pſyllii, Polygoni, Poligolæ repentis.
Quadrifolii. Quinquefolii Var. ſp.
Ranæ Morſus, Reſedæ, Roſæ rad. Roſarum Flores, Rumicis.
Saponariæ, Sanicula Alpina, Saxifragæ V. ſp. Saſſafras, Sagittariæ, Sedi V. ſp. Senecionis, Sempervivi Var. ſp. Sigilli Salomonis, Sonchi Var. ſp. Solani, Stellarii, Symphiti.
Taraxacon, Telephii, Tragopogon, Trifolium hortenſe, Trifolium odorat: — paludoſ.
Viciarum V. ſp. Violarum Martii, hortenſ. — Sylveſtr. Vitis folia, —, flos, Ulmariæ V. ſp. Vincetoxici, Umbilici Veneris V. ſp.

Index

Index Morborum Acris Saporis.

Abſceſſus ſecus Aures cum ſurditate ; Ani intertrigines , — mariſcæ , Ani Thymi , Accidentia Scorbutica circumrotantia , Arteriarum Sanguinis Lymphæ exſiccatio , Artuum torpor , Tremor , Aſcites , Aſthma cum Febre ephemera , Atrophia , Aurium tinnitus.

Bubones.

Carbunculus , Carcinoma , Caries oſſis , Carnis mortificatio , Cæcitas momentanea , Chironia , Chordæ umbilicalis extenſio.

Diabetes , Dolor ſecans inter mingendum , Dyſenteria.

Excoriationes , Excreſcentia Carnis in Virga , Exſiccatio Lymphæ.

Febris acuta , — continua , — continua cum oris tortura — Ephemera , — cum Furore & phreneſi errante arteria , — horrida , — inficiens , — maligna quæ LEYDÆ *A°.* 1669. & 70. *graſſata eſt — quotidiana , — quartana diuturna , — Synocha , Febricula lethalis inſanabilis , Fimus Virgæ , Furor.*

Glandularum Lymphæ exſiccatio , Viſcerum inflammatio.

Hæmorrhagia , Hæmoptis , Hæmoptyja , Hypoſarca.

Ignis ſacer , Iliorum dolores quaſi ſecantes — obſtructiones , Inſania , Juncturarum maculæ ignitæ , cum furfuribus albicantibus , Inflationes Juncturarum.

Lienteria , Lymphæ exſiccatio , Lymphaticorum Vaſorum diſruptio — Vaſorum Induratio — Tumoratio.

Maculæ pellis , Mania , Mortificatio ſubtilis , Muſculorum punctiones doloroſæ.

Narium Fœtor , Narium Ulcus , Nervorum punctiones doloroſæ.

Oculorum Caligo , — inflammatio , Ozæna exulcerata.

Parenchymatum Corroſio, Peſtis, Peſtilentialia accidentia, Phagedæna, Phreneſis, Phthiſis, Polypus, Pleura notha, Pulmonis corroſio, Puris excretio per Anum, Pupillæ exulceratio, Ptechii.

Quietis nocturnæ privatio cum Capitis doloribus,

Renum ſuppuratio.

Sanguinis excretio per anum, — Rejectio, Scorbuticæ accidentia circumrodentia. Scrophuli, Scirrhus, Spaſmus, Sputum cum Spuma, Suſpirioſitas.

Tumorationes, Tuſſis purulenta, Typhomania.

Venarum Lymphæ exſiccatio, Ventriculi intemperies, Vertigo, Virgæ excreſcentia, Viſcerum glandularum inflammatio, Urinæ ardor — Materia fœtens mucoſa, Urina mixta cum ſanguine, — purulenta.

CAPUT XII.

Traditur 1. *Deſcriptio ſaporis ſalini.* 2. *Explicatur indoles ejuſdem atque natura,* 3. *Sal marinum educit humores non tantum per Renes & Sudorem, ſed etiam eoſdem imbibit, id quod* 4. *probatur ex ardore linguæ & ſiti;* 5. *adducuntur morbi qui à Sapore Salino naſcuntur.* 6. *Detegitur modus hunc Saporem Salinum corrigendi; affixo* 7. *Indice morborum alphabetico.*

OMnis ſopor ſalſus fixus eſt quoque ſal tertium, compoſitum ex duabus diverſæ naturæ eſſentiæque rebus, videlicet ex prædominante Sulphure volatili ſubamaro, & Sale Acido fixo ſubtili, in humiditate Mercuriali ſubdulci, & per digeſtionis tempus, converſum in tale Sal ſalinum fixum, & ſecun-

ſecundum majorem minoremve hujus Acidi Salis prædominationem in Sulphuris ſubamaritudinem, Sal iſtud omnibus Corporis Viſceribus, Glandulis, partibuſque Naturæ convenientiſſimum, atque eſt Sal illud ob ſuum gratum ſaporem propemodum jure nuncupatum, *commune ſal Naturæ*, non quidem ideo, prout aliis fabulari ſolenne eſt, quod ſal ſit calidum & ſiccum, utpote quod per ſuam ſubtilem ſalſitudinem habeat Vim mortificantem; qua nutrientes Ventriculorum omnium humores tranſmiſſi attenuantur, lenta eorum tenacitas redditur liquida, & ad fermentandum apta; quippe quoniam hujus balſamus ſalis ſeparatam omnium humorum humiditatem, ut ipſa putreſcere nequeat, in legitima ſiccitate conſervat, & quodcunque aſperum eſt ac indigeſtibile, digerit, reliquamque craſſam & peregrinam ſalſedinem omnem detergit, ſupervacaneamque Acrimoniam expellit, præcipitando per Renes ac Veſicam. Quod ſi tantum Marinum ſalſum fuerit nimis ſuperfluum, & in Hominis viſceribus, & quidem præcipue in partibus glanduloſis, adverſus Naturam repertum, illud ſulphur volatile ſubamarum mutatur denique in Alkali, à quo Acidum dulce fit vel Saporem urinæ præbet, per ulterioris digeſtionis tempus redditur nimis Urinoſum, atque eſt tanquam Sal Urinæ, neque verè Alcaliſatum, neque vere Acidum, prout eſt omne ſal probum, ſed duntaxat ſalſedinem marinam refert, quandoquidem in eo Acidum prædominatur quadantenus. Quocirca idem non modo nimium humoris educit per Renes æque ac per ſudores, ſed ab ipſo etiam imbibitur humiditas; unde ſaliva Oris evadit tam ſpumoſa ac ſalſa, ut inde lingua plane areſcat, atque in Ore ſitis omnino intolerabilis ſubnaſcatur, & per hanc Vim mortifi-

 cantem,

cantem, extinguentemque ſitim, in alias etiam partes glandulosas non tantum progignuntur multæ *febres* ardentes, & hecticæ ſitimque parientes, ſed etiam multi diuturni ſcorbutici morbi exſiccantes, & externa acuta ardentia ac ruſſa, denique pure fœdo manantia Accidentia, potiſſimum tamen in partibus Membranoſis Muſculoſiſque aut etiam in capite poſt Aures in ciliis, ubi ſalſitudo facit hordeolum & ſemper ſtimulat ad pruritum, atque tandem procreat tubera, unde promanat Tumor cum Ardore, ac Dolore, idque ſecundum proprietatem Cerebri Glandularum frigore læſarum, quarum effuſa Lympha per Naſum eſt cauſa ſternutationis, & interdum Polypi. Et influxus Oculorum lippientium effectivè comperitur, ut etiam delacrymatio, lippitudo ſive inflammatio Tunicæ corneæ cum rubore, quod iſta urat ut urticá communis puſtulaſque eliciat, atque Naſum excoriet, ad inſtar ranunculi, aut Cantharidum.

Cæterum ſi conſimilis Lympha ſalſa ſeſe in Venam Opticam infuderit, eadem non tantum efficit multas *caligationes flammanteſque* micationes, ſed excoriat etiam *pelliculam* ſuperiorem, eandemque reddit craſſiorem, limoſam albidamque ſimiliter tuniculæ Ovi. Talia autem accidentia inveniunt ſibi nomina ſequentia, Hypopyum, Cornea Tunica, pterygium. Quod ſi conſimile ſalſum in Lympha rorifera Cerebri Membranularum reperiatur, iſthoc ſalſum condenſat eorum Humiditatem, atque tunc exſiccantur Membranulæ & generantur multa digeſtionis Cerebri impedimenta, quorum primaria ſunt nimiæ vigiliæ, unde conſequenter proveniunt *defectus intellectus*, qui tamen non ſunt uniusmodi, ſed vel ſuſpiciones ſine cauſa, graves cogitationes, ſollicitudines.

Porro

Porro ſi conſimilis lympha cum Sanguine Arteriarum Venarumque ſe miſcuerit, ſanguis per illius inflammationem impenſe craſſeſcit atque ſpiſſeſcit, ac inhabilis redditur ad diffundendum ſe in exiliorum Venarum Arteriarumque ramos, iſti Homines varicoſi, ſcirrhoſi, atque impetiginibus & herpetibus miliaribus laborantes fiunt, atque iſtis Viſceribus partibuſque, quæ ab illius ſanguinis Calore ſuſtentandæ ſunt, adimitur Vis faciendi ſuum officium; nominatim quoque conſtat, quod inde proficiſcatur multiplex ſenſus Cordis Pulmoniſque coanguſtati, ibidemque in illis partibus circulatio Sanguinis in ſuo curſu remoram patiatur.

Quod ſi conſimilis ſalſedo ſeſe in Glandulas Pancreatis aliarumque Corporis partium Glandulas infuderit, eveniet ut omnibus membranoſis muſculoſiſque partibus, quæ ab hoc humore irrorantur ac humectantur, iſtiuſmodi Ros ſentiatur eſſe mordicans, contrahens, atque conſtringens, unde non ſolum ſub ciliis Grandines, ſed etiam diverſa reperiuntur *ſtimulationum* genera, *ictuum repentinorum*, dolorum, idque comperiatur univerſum pro ſingularum partium indole, ubi ipſarum internati flatus extendunt Membranulas, univerſaſque ſub Carne latitantes fibrillas ſubtiles, tantiſperdum per poros ipſæ inveniant vias exonerandi ſeſe, unde etiam ſciſſuræ Manuum, Pedum, &. ſæpiſſime illorum Carnis Emaciatio, etiam Pernio, Reduvia, Pterygium. Quod ſi quandoque contigerit, ut in partes memoratas fœtor ſive ſapor Acidus ſeſe ſimul immiſcuerit, ex horum amborum mixtura fit Sal tertium, nempe Sal lixiviale, ſive urinoſum, id quod non tantum in illis Nervoſis Muſculoſiſque partibus procreat Tumores, & in manibus pedibuſque Scabiem venenoſam,

Lepram, Pſoram, Vitiliginem, Phagedænas, Cancros, Verrucas, verrucas Penſiles, & Verrucas Seſſiles, Clavos.

Si autem hæc ſalſedo ſub Capitis cute cutem corrodit, inde fit prurigo, Ophiaſis, Alopecia, articulares morbi, & iſchiadici dolores, etiam multa Chiragrica & podagrica Symptomata. Si verò conſimilis ſalſedo in glandulis, vaſiſque Lymphaticis comperta fuerit, jecur inde inflammatur, exſiccatur, atque magnopere induratur, unde poſtmodum concitatur immoderata ſitis cum febribus ardentiſſimis, quales ex ſeipſis, aliis afflant graveolentem Urinoſumque fœtorem.

Deinde ſi talis ſalſedo in Lympha Colli vel Glandularum, aut etiam in faucibus ac larynge hoſpitatur, ſaliva oris non tantum guſtatur, tam ſalſa quam eſt Muria, uſque adeo ut ob Vim ſuam mordacem peſſime Gingivam omnem depaſcat, ipſamque Dentium radicem exedat, verum etiam à contrahente ejus natura Glandulæ indurantur, unde Ori ordinaria ſeu neceſſaria humiditate deſtituto innaſcitur Stomacace, Odontalgia, Angina, inflammans ſiccitas, ac Ardor immanis, qualis ſentitur cum febre comitante, inde verò in Collo *ſtrumæ*, & *ſteatomata*, unde Gutturoſi fiunt. Atenim ſi memorata Saliva Oris ſalſa deglutienti in Bronchias pulmonis ſe inſinuaverit, inde progignuntur Punctiones ſtimulationeſque ad tuſſim ſiccam, quali aſſociatur ſæpe Naſus cum gravedine, & multo ſtillans ſanguine, *Catharrus*, *Uvulæ procidentia*, *Raucedo*, & Labiorum Vulnera. Quod ſi illa ſalſedo offendatur in ſtomacho, atque in inteſtinis, Chylum corrumpens, eundemque ibidem mutans in Acidum, inde conficitur ſal Lixiviale, quale progenerat multas Effervescentias, flatulentaſque Inflationes,

tiones, cum immani Vi doloris, quaſi ſecantis, murmurantis, ac ſuſurrantis in Inteſtinis majoribus, atque per minorum majorumque ilium inflationem, perquam duriter Ventrem extendit, uſque adeo ut inter eructandum edat ſonitum, tanquam Tympanum. Hinc quum hic extenſio fiat multo durior, quam in Aſcite, hic Morbus appellatur *Tympanites* adjuncta cum Syntexibus.

Si denique hujuſmodi reperiatur in Renibus Ureteribuſque, inde non tantum Clunes inflammantur, ſed procreantur etiam genera cruciandi, ſeu quaſi ſecandi efflictim ardentia in Urina, Urinariaque Veſica, qualia nuncupantur *Iſchuria*, Stranguria, Urinæ ardor, & Puris excretio, eſtque illa Urina parvi ponderis, ſaturique coloris, qualis Color ſimiliter Limo adhæreſcit Fundo vitreorum Vaſorum, atque in Veſica non ſemel in *Calculum* coagulatur, ſin vero in Glandula inteſtini recti, fiunt Ani procidentiæ, & Verrucæ hæmorrhoidales, fiſtulæ Ani & Tenaſmi.

Herbæ pugnantes mediante ſuo Sale Volatili Sulphureo reſolvente contra ſalſedinem fixam Urinoſam, Lymphæ ſuccum Mercurialem indurantem; ut ſequentes

Allium — Alpinum — rubentibus caulibus, — Sylveſtre — Urſinum, Alkekengium, Anethum, Angelica — Sativa, — Sylveſtris, Archangelica, Apium, — aquat. Aron, Aſparagus.

Bardana, Blattaria, Branca Urſina, Botrys, Betonicæ V. ſp. Bryonia, Bugula.

Calaminthæ Var. ſp. Calami aq. Calami aromat. Cannabis, Cannabina, Caryophyllata, Chærefolium, Chærofolium americ. Chriſtophoriana,

Cæpa

Cæpa alla, Cæpa Hiſpanica, — rubra, Conſolida aurea — paluſtris, — Saracenica, Coriandrum, Curcumæ rad.
Daucus — ſylvaticus, Dulcamara.
Ebulus, Eryſimon, Elaphoboſcum ſativum, Empetrum marinum.
Fœniculum — marinum — porcinum, Fœnugræcum, Fumaria, — Americana, — tenuifolia.
Geniſta — Hiſpanica, Gratiola.
Helleborus alb. — niger, Helleboraſtrum, Helleborina, Hederæ var. ſpec. Herniaria major, — minor.
Imperatoria, Ireos Florentin. Incaria Salmaticenſis, Juncus odoratus, Juniperi baccæ, Jojaci Cortices.
Leviſticum, Lingua Cervina, Lupulus.
Marrubii alb. — nigri, Menthaſtrum V. ſp. Menthæ Var. ſp. Mercuriales, Moly V. ſp. Morſus diaboli.
Napus — Sylveſt. Naſturtii mult. ſpecies, Nepetæ, Nicotiana, Nigellaſtrum.
Ocymum, Oſtrutium, Oxytriphyllon.
Palma Chriſti, Pentaphyllon, Paradiſi grana, Piperis Var. ſp. Porri Var. ſp. Piſtolochia — Cretica, Pimpinellæ V. ſp. Petroſelini V. ſp. Pyrethrum, — Roman. Pyrola.
Raphani Var. ſp. Rhabarbarum — Monachorum, Rhaponticum, Rapiſtrum V. ſp. Ricinus.
Salviæ Var. ſp. Saponaria, Savina, Scordium, Sinapi, Sennæ, Scordiphraſium, Schenophraſium, Staphillodendrium, Scammonea Valentina, Soldanella.
Tanacetum — criſp. Teſticulorum Var. ſp. Thlaſpi Var. ſp.
Valeriana, Veratrum nigr. Vitæ arboris, Volubilis, Urtica, Uvularia.
Zedoaria Zingibris rad.

Præ-

Præſcriptæ herbæ omnes, quæ plenæ ſunt ſalis Volatilis Sulphurei, reſolventis Lympham, (at effervefcendo) Glandularum, à ſalſedine quadam fixa Urinoſa, induratam, Medico Practico probe veniunt cognoſcendæ, proptereaque caute adhibendæ, cum multa ſæpe Symptomata quæ prædictarum herbarum uſum plane prohibent, concomitari poſſint corpus emaciatum. Itaque, hoc ſi acciderit, magis conducerent humectantes Mercuriales, quæ non ita, ut ſupradictæ (ſcilicet effervefcendo) ſed humiditate ſua Mercuriali ſuaviter ſalem fixum urinoſum (fermentando) diſſolvunt, ut exempli gratia videre eſt in Cucumeribus &c. adſperſis ſale, à quorum Mercurialitate ſal illud fixum, adſperſum blandè fermentando diſſolvitur. Cum contrà impetuoſè effervefcendo ſale ſuo Volatili Sulphureo illud faciat Raphanus aſperſus Sale communi fixo, &c. Herbas verò ejuſmodi Mercuriales ſi deſideras,

Require eaſdem in Capite præcedenti XI.

Index Morborum Salſi Saporis.

Alopecia, *Ani procidentia*, *Angina inflammans*, *Articularis morbus.*

Caligatio Oculorum, *Cancer*, *Catharrus*, *Chiragra*, *Clavus*, *Cogitationes graves*, *Colli ſtrumæ* — *ſteotomata*, *Cordis anguſtia*, *Cornea tunica.*

Delachrymatio, *Dentium Corroſio.*

Excretio puris.

Febris ardens, — *Hectica*, *Fœtor urinoſus*, *Fiſtulæ hæmorrhoidales*, *Fluxus oculorum lippientium.*

Gutturoſitas.

Hæmorrhagia, *Herpes miliaris*, *Hypopium.*

Inflammatio tunicæ corneæ cum rubore. *Jecoris inflammatio*, — *Induratio.* — *exſiccatio.* *Ictus.*

Ictus. Impetigo, intellectus defectus, Iſchiadici dolores, Iſchuria.

Labiorum Vulnera, Lepra, Lippitudo.

Manuum emaciatio, — Scabies — Sciſſuræ, Muſculorum tumores.

Odontalgia, Ophiaſis, Oris ardor, Oris ſiccitas.

Pedum emaciatio, — ſciſſuræ — Scabies, Phagedænæ, Pernio, Podagra, Polypus, Pulmonis anguſtia, Prurigo, Pſora, Pterygium.

Raucedo, Reduvia, Repentini dolores.

Saliva ſalſa, — Spumoſa, Salſedo lymphæ oris, Scabies ſicca, Scabies Venenoſa, Scorbutus exſiccans, ſitis immoderata cum Febribus, Sitis intolerabilis, Sollicitudines, Superciliorum grandines, Stimulationes, Stomacace, Stranguria.

Tenaſmus, Tumor cum dolore ac ardore, Tuſſis ſicca, Tympanites.

Verrucæ, Verrucæ — penſiles, ſeſſiles, Ventris crepitus, Vitiligo, Ulcera fœtida in partibus muſculoſis & Membranoſis, Uvulæ procidentia, Urinæ ardor.

Caput XIII.

Deſcribitur 1. Saporis dulcis eſſentia cum ſuo uſu, qui 2. non exinde, quia temperate dulcis & Calidus cenſetur, multus eſt, ſed quia Antipatheticè ſe habet, tam Odore, quam Sapore in omnem craſſam immaturamque Amaritiem, & Aciditatem, 3. Oris dulcedo mutatur in ſubacidum, à quo promovetur Fermentatio mediante qua Sapores corriguntur Sulphureique odores noxii præcipitantur. 4. Dulcedo Lymphæ eſt Verus Naturæ Balſamus 5. in omni-

omnibus Vulneribus habetur Dulcedo Lymphatica & Mercurialis, ut Balſamus Conſolidans, 6. Dulcedo ex Effervescentia, ſeu Putrefactione eſt pernicioſa, 7. recenſentur Morbi à Sapore dulci oriundi, 8. additur Saporis dulcis Antidotum; ut & 9. Catalogus Morborum Alphabeticus.

OMnis Sapor & Odor dulcis, ſive ſubdulcis eſt quoque Sal tertium conflatum ex duabus diverſæ Naturæ eſſentiæque rebus, puta ex Sulphure Volatili maturo, & ſale fixo inſipido Calcis in humiditate Mercuriali dulci vel Aquoſa, & per digeſtionis tempus rite converſum, in tale ſal tertium dulce, ſive mellinem dictum, & ſecundum fortiorem imbecillioremque hujus Sulphuris maturi prædominationem in Sal, aut hujus Mercurialis humiditatis mellineæ in Sulphur atque ſal, eſt tale ſal Saccharinum ſive mellinum, quoad Saporem omnibus Corporis noſtri Viſceribus, aut etiam quoad Odorem, Cerebro, cæteriſque membranoſis partibus omnibus perquam naturaliter conſentaneum ac gratum; veruntamen non ideo, quod (uti plerique Medicaſtrorum fabulantur) omnis ſapor Dulcis ſit mediocriter Calidus, ſed quod iſtiuſmodi ſeſe perquam Antipathetice habeat in omnem craſſam immaturamque Amaritiem Naturæ reluctantem, atque Aciditatem, tam in Odore, quam in Sapore, unde hujuſmodi temperantior eſt in omnibus ſuis Affectibus ſeu Proprietatibus contrariis. Præterea eſt omnis Dulcedinis proprium per digeſtionem in Calido viliſſimam confeſtim mutari in ſubacidum, unde ex tempore fermentatio promovetur, atque ita effective omnia Saporum genera corriguntur Sul-

Sulphuriſque Odores præcipitantur, quales erant omnibus corporis Viſceribus noxii atque venenoſi, atque ita fit de Dulcedine ante dicta.

Quod quando ipſa in ſubacidam Humiditatem Mercurialem mutata fuit, eadem tunc abſolute per ſuam operationem omnes perceptos, immaturos, crudos, indigeſtibileſque cibos, ac potum fermentando in hominis Alimentum præparat. Omnia quippe Naturæ adverſantia dummodo fermententur, digerantur, & coquantur, ita maturantur, atque in Nutrimentum præparantur. Quid quæris? Penes omnes Homines ac Animalia quadrupedantia comperitur eſſe dulcedo Lactis Glandularum, ſeu Verus Lymphæ Balſamus Naturæ nutriens, corporiſque vegetans. Quinetiam ſolummodo habetur in omnibus Vulnerum Symptomatibus Dulcedo Lymphatica, & Mercurialis Balſamus conſolidans, quo mediante locus ſauciatus incarnatur & conſolidatur, atque ita Vulnus reſanatur. Attamen interea loci eſt probe obſervandum hoc diſcrimen, quod quando ex quodam alio *Odoris*, ſaporiſve putrefacti genere ſuboriretur Dulcedo aliqua, prout animadvertimus circa morientes mortuoſque homines, ubi perquam ingratam olfacias Dulcedinem, aut compluribus etiam in rebus aliis, poſt ſui corruptionem ſpirantibus recentem nauſeoſiſſime dulcem Odorem ingratum. Hæc ſunt admodum perniciosa, quando Glandularum Lympha per infectionem fœtoris, ſive ſaporis rei alicujus in illis ſimul redditur effervefcens, ea in conſimile dulce putridum mutatur, quemadmodum & conſimile ex Saliva oris & Muco Narium, ita percipitur, ut illa membranoſæ nervoſæque corporis parti, in quam collabuntur, multos pariat graves Tumores linguæ, diſſolventes Artus. Sin autem conſimiles immigrave-

rint

rint in Glandulas Ventriculoſque Cerebri Membranulaſque imbibant, defluunt Defluxiones ingentes in faciem, unde ipſa intumeſcit cum pallido colore, & Palpebræ inflantur; Aures tinniunt, Tumoreſque effundunt, & per ſuppreſſionem Ventriculorum Cerebri procreant multa Melancholica ac anxia Phantaſmatum genera ex imbecillitate Cerebri. Etenim ſi talis ſe in Venam Opticam diffuderit; inde progenerabuntur non tantum pupillarum Oculorum dilatationes, verum etiam egreſſus Uveæ, ut vocant, Alinthiſar, Nubeculæ cæruleæ Oculi, Perlæ aquaticæ, & Excreſcentiæ Carnis in Oculi Albumine, *deſtillatio* lachrymarum ocularium fervidarum, tumores & ſuffuſiones Oculorum. Porro ſi Oculorum Membranulas talis inceſſit impotentia, ut nequeas palpebras aperire clauſas, neque claudere apertas, illud malum ſeu accidens Oculorum tunc appellatur *Geſſe*.

Tales autem in Ore progignunt multa genera morborum Oris, Linguæ, Gulæ, dicta *Alkola*, aut Rana, Epulæ vomicæ, Oedema ſive Undimia, unde etiam naſcuntur multi Tumores Uvulæ Amygdalarum, Buccarum, & dentium Corroſiones, atque commotiones, in Auribus gignuntur Vermes, & vocatur *Auris vermicoſa*, & procreantur ſpongiæ Aurium, & Tumores, & durities.

Oriuntur inde in Glandulis Narium multæ carunculæ ulceroſæ citra dolorem, unde & fit totius Naſi Obſtructio, & unde multæ propendentes Excreſcentiæ longæ quoque exiſtunt, quæ nuncupantur *Hæmorrhoides Narium*, apoſtemata narium, Phlegmones, Ozænæ, Comæ, Pani, deſtillationes Narium, aut denique Coryza Narium, in Glandulis Gutturis verò fit Bronchocola, ſive Hernia Gutturis, & Phlegmone.

Quod ſi ejuſmodi Dulcedo decidat in Membranoſas Manuum Pedumque partes, inde *relaxantur* omnes fibræ carnoſæ, quæ illam imbibunt cum humiditate facile putreſcente & effervescente, unde ſcaturiunt multa genera *mancorum*, ſideratorum, diſſolutorumque Membrorum, nempe Phymæ, Luxationes Pedum & Brachiorum, atque calli Pedum & digitorum. Sin vero Glandulæ Pulmonis, Hepatis ac Splenis ſimul imbibuntur, ex eorum inflammationibus enaſcuntur ſæpe Accidentia graveolentia, præcipue Durities, Scirrhoſitas & Aquoſitas iſtorum Viſcerum, & Screatus. Enimvero quod ad Viros attinet, in horum Renibus ac Vaſis ſpermaticis procreatur inde imbecillis Virilitas, quæ vulgo vocatur *Impotentia.* In Fœminis vero inde progignitur Sterilitas, Uteri Stillicidium, fluxus albus, Uteri Hydrops, Tumor, Procidentia, Scroti Tumores, Hernia aquoſa in Scroto. Clitoridis Tumor aquoſus, Tardatio conceptionis.

In Teſticulis autem enaſcitur Tumor Scroti teſtiumque cum inflammatione.

Quod ſi talis Dulcis Humiditas adhæreſcentem Inteſtinis Mucum corruperit, progenerantur inde *Lumbrici*, oriunturque Procidentiæ ani, relaxationes Valvularum, inteſtinorum, & fluxus Alvi fœtidus. Cæterum ſi illa per Fibras introducta fuerit uſque inter Pellem & Carnem, ubi ipſa adminiculantibus Effervescentibus flatibus Extenſiones producunt; Tunc inde oriuntur Accidentia, *Melicerites* dicta, Antheromata, Pſydracia, inflationes, Epinictes, ſive puſtulæ ſublividæ, & undimiæ. Quod ſi iſtiuſmodi figant ſibi ſedem permanendi inter Pellem ac Carnem, atque in Orificio Pororum, tunc inde progerminant Sambuci notæ, Maculæ mel-

mellitæ, vulgo nuncupatæ *maculæ hepaticæ*, multaque alia genera putentium Ulcerum exulcerationumque, Empyema ex vulnere Dorſi, etiam Crinones, ſive fœtidi pedes cum Vermibus. Si autem talis ſe in ſanguinem Arteriarum Venarumque immiſcuerit, ſanguis evadit ex toto aquoſus albidoque limo æmulus, procreatque multas putrefactiones ac Effervefcentias, ex quibus ſuboriuntur ſudantes Calli, putenteſque febres cum Deliriis, & febres putridæ ſive intermittentes. Porro ſi illa ſe in Capſulæ Cordis Lympham immiſcuerit, ex illa naſcitur inſignis debilitatio Cordis ac *fatigatio*, atque Oris oſcitatio. Quod ſi talis ſe cum ſucco Glandularum Diaphragmatis commiſcuerit, inſignis inde proficiſcitur infrigidatio Corporis, ac in *Inteſtinis* impeditio digeſtionum, tum fermento injicitur Obſtaculum, atque flatuoſæ Effervefcentiæ promoventur, unde non paucæ emergunt Paſſiones Colicæ. In Ventriculo autem naſcitur faſtidium, Nauſea & vomitus. Tandem vero ſi in una aliqua totius Corporis parte hic Dulcis ſapor ſive fœtor, duntaxat ab una prædominante Aciditate craſſa, per fœtorem ſive ſaporem vitiatur, ſeu inficitur, illa perfacile in fortiſſimum Acidum una mutatur, atque inde ipſa pro indole partium fit cauſa omnibus recenſitis Morbis morborumque Accidentibus, quemadmodum jam in ſuperioribus de Acidis humoribus Corroſivis commemoratum ac relatum eſt.

Anodynum itaque ejus ſi quis deſideret, ſciat eſſe Sulphureum Amarum. Omne namque dulce, ut in præcedenti paragrapho dictum, mutatur in Acidum, cujus Antidotum eſt Amarum ſulphureum. Deinde & hæc ſuadet ratio, quia Sulphurea amara reſiſtunt Putrefactioni: jam verò nos locuti ſumus de Dulcedine ex Putrefactione prognatâ. Pau-

cis, adeat cap. 9. de Sapore acido. Superſedeo ergo hoc opere, & ad reliqua me accingo.

Index Morborum, Saporis, Odoris, Dulcis, Subdulcis ſive Mellinei fœtidi.

Alchola, Alvi fluxus fœtidus, Albuminis Oculi excreſcentia, Alinthiſar, Amygdalarum tumores, Ani procidentia, Antheromata, Aurium durities — Spongia, — tinnitus — tumor, Auris Vermicoſa.

Brachiorum tumores, Bronchocele, Buccarum tumores.

Calli ſudantes, Cerebri imbecillitas, Colicæ paſſiones, Colli luxatio, Conceptionis tardatio, Cordis debilitatio — Fatigatio Corporis, infrigidatio, Clytoris tumor aquoſus, Crinones.

Dentium commotiones, — Corroſiones, Digeſtionum impeditio, Digitorum impeditio.

Empyema, Epatis aquoſitas, — durities, Scirrhoſitas, Epinictes, Epulæ.

Facici defluxiones, — intumeſcentia, Faſtidium, Febres intermittentes, — putentes, Fluxus albus.

Geſſe, Gutturis inflammatio.

Hernia aquoſa.

Inflationes, Impotentia, Inteſtinorum valvularum relaxatio.

Lacrymarum deſtillatio, Linguæ tumor, Lumbricorum generatio.

Maculæ hepaticæ, — Mellitæ, Melicerides.

Narium apoſtemata — carunculæ, coryza — excreſcentiæ longæ, Narium deſtillationes — hæmorrhoides, — obſtructio — phlegmonæ.

Oculi nubeculæ cæruleæ, — perlæ aquaticæ, Oedema, Oſcitatio.

Palpe-

Palpebrarum inflatio , — *impotentia* , *Pedes fœtidi cum Vermibus* , *Phymæ* , *Pedum luxatio* , *Pulmonis durities* , *Pulmonis aquoſitas* , *Scirrhoſitas* , *Pupillarum dilatationes* , *Puſtulæ ſublividæ* , *Pſydracia*.

Ranæ ſub lingua.

Sanguinis effervescentia , — *putrefactio* , *Screatus* , *Scroti tumor. Splenis aquoſitas* — *durities* , — *Scirrho Sterilitas*.

Vomitus , *Vomicæ* , *Ulcera putentia* , *Uveæ egreſſus* , — *tumor* , *Uteri hydrops* , — *procidentia* , — *ſtillicidium* , — *tumor*.

CAPUT XIV.

1. Deſcriptio Saporis Suavis ac Viſcoſi, 2. Viſcoſi proprietas & Uſus quem humano Corpori præſtat, 3. Viſcoſa præſentaneum in dolore Colico ac Nephritico ſunt remedium. 4. Viſcoſa emolliunt, mitigant, 5. inſipidi Viſcoſique ſucci cum Dulcibus & ſubdulcibus putridis mixti, producunt noxias ac flatulentas efferveſcentias fermentationem impedientes acidum pancreaticum mortificando ac corrumpendo, 6. iidem mutant Amara in Sal inſipidum inteſtina Vaſorumque orificia obſtruens, 7. enumeratio Morborum ab hoc Sapore profluentium. 8. adnectitur Saporis hujus Alexipharmacum, & 9. Index Morborum.

OMnis Sapor ſuavis *Inſipidus* ac Viſcoſus, nempe ſapor calcis eſt quoque Sal tertium compoſitum, ex duabus diverſæ Naturæ eſſentiæque

 rebus,

rebus, videlicet ex Sale fixo Urinoſo prædominante in Acetum maturum in humiditate Mercuriali inſipida, atque ita per digeſtionis tempus, belle converſum in tale Sal Alkali, quale Linguæ & Palato arridet, atque cum Viſcerum humiditate ſe perquam *Sympathetice* habet. Omne namque Viſcoſum eſt præditum proprietate admodum irrigante, macerante, lævigante, ac lubricante, cujus præſidio non tantum in Hominis Corpore communiuntur Ventriculus, Inteſtina, Veſica Urinaria, præſertim vero in iſtorum Hominum complexione, qui dicuntur ventricoſi ſive forioli eſſe, cujus cauſa ſæpiſſime Hernia ſive Ramice in Scroto laborant, ſed aliæ etiam partes complures ad prohibendum, quominus ipſa præfacile à quadam Aciditate, ſive Acrimonia corrodente corrodantur, atque tandem inflammentur ac exulcerentur, ſed ut illæ ſimiliter aquæ puræ in ſubjectum oleoſum, citra aggrediendum decurrant. Attamen (ſcilicet) fortia potionum Catharticarum genera ſunt pro medicamentoſis in diſpendium multorum accidentium evacuandorum adhibita, ab aſinina ſeplaſiariorum Medicaſtrorum proclivitate ad purgantia præſcribendum. Hinc per longa diuturni temporis Experimenta, ſunt hæc præſentanea, ac extemporanea Remedia obſervata in Colica & Calculi dolore. Quod quum flatus fortiores Inteſtina extendant Acribuſque ſuis ſaporibus, ac humoribus, hanc in iſtis gliſcentem *Materiam* Viſcoſam abrodant, atque inde Membranoſa ſubſtantia accipiat Vim ſentiendi cruciatum in ſe vehementem, male habentibus bibendum datur Oleum recens Amygdalarum vel Nucum Juglandium, *vel Lini*, *vel raparum*, etiam Mucilago Rad. Altheæ, *Seminis* Cydoniorum, Pſyllii Gum. Tragacanthi & ejuſmodi plures, ad ungendum illa &

ad

ad arcendum Acrimoniam, uſque dum malum illud exceſſit, atque viſcoſum novum accreſcens ſucceſſit. Quinetiam omnia Viſcoſa ſunt perquam ductilia vi Mercurii ſui emollientia, mitigantia & per rei cujuſdam ſulphureæ additionem relaxantia, atque inde etiam quibuſvis omnium illarum partium obſtructionibus ſalutariter occuritur atque non minus prævenitur Dyſenteriis, compluribuſque doloroſis Veſicæ Ulceribus, ac inflammationibus & abſceſſbus Renum, Teſticulorum, Vaſorumque Spermaticorum.

E diametro quoque ſi in una aut altera parte aut Viſceribus tales inſipidi Viſcoſique ſucci gliſcunt Naturæ adverſantes, eoſdem comperias in gradu pari cum memoratis paulo ante dulcibus & ſubdulcibus, putridis, unde datur cauſa naſcendi multas noxias flatulentaſque Efferveſcentias, quæ neceſſario Fermentationem impediunt, dum Acidum Succi Pancreatici fermentale mortificant, atque corrumpunt, veluti Calx viva Cereviſiam, ſive Minium, Acidum Vini in Dolio, naturalemque juxta infuſam Felleam Amaritiem mutant in tale ſal inſipidum, à cujus repentino argilloſoque effectu, obſtruuntur Inteſtinorum aliarumque partium Orificia, & quando illi efferveſcunt humores, omnes Inteſtinorum valvulas relaxant, ſtimulumque Membranularum progenerant, unde frequenter ſuam Diarrhœæ ac Lienteriæ originem trahunt.

Quod ſi hi irrigant fluxiones Cerebri, tunc multas procreant *plumbeas* ſomnioſaſque mentis cogitationes, efficiunt ſomniculoſos ac ſtupidos, pariunt multas refrigerationes ſeu Gravedines, una cum deſtillatione Naſi; ſin autem tales *Catharri* in Oculos defluxerint, illi ob ſuam relaxantem Naturam, taliter progenerant Egreſſum Uveæ, pupillæ

dilatationem, Aciei oculorum defectum, ut quis tam ante quam poſt manducationem cernere nequeat. Adde quod inde etiam naſcatur illud vitium, quo laborans, poſt ſolis Occaſum poteſt *acutius videre*, & vocatur *Nyctalops*. Cæterum ſi iſtius generis infecta ſeu vitiata Lympha viſcoſa in aſperam Arteriam delapſa fuerit, Reſpirationiſque Fiſtulas Pulmonis oppilaverit, ille incipit laborare Dyſpnœa, fit Aſtmathicus atque anhelus, excreatque multum lenti flaventis pariter atque albentis Limi lutoſi. Si in Glandulis ac Vaſis Lymphaticis Splenis Hepatiſque Lympha fit viſcoſa, tùm intumeſcit *Hepar* & Splen, & cumprimis jecur de ſe expromit aliquod torridum ponderoſæque ſenſibilitatis genus, unde fluit cauſa procreans Leucophlegmatis. Quinetiam in Glandulis Pancreatis, ac Venis Meſeraicis oriuntur multæ obſtructiones, quales dant cauſam ad acutas continuaſque febres, atque inflationes progignendas.

In Arteriis & Venis ſanguis fit tam tenax glutinoſuſque, ut non facile Valvulas tranſmeare valeat, unde quàmplurimum tumefactas in Manibus Pedibuſque Venas videas jacere cum ingentibus tuberculis cæruleis, & vocatur ille Homo *varicoſus*, perinde ac ſi tales eſſent in aliquot centenas particulas diruptæ, ſæpe igitur cauſæ fiunt diſruptionibus; qualium ruptura procreat Carcinomata ſanguinolenta, aliaque accidentia cruenta.

Quod ſi humectans Nervorum Muſculorumque Lympha evaſerit viſcoſa, multa mancarum diſſolutarumque Manuum ac Pedum genera per relaxationem pariuntur, atque propullulant multa ſcorbutica Accidentia manantia tam intra quam extra corpus, qualia graviter olent, atque ægerrime

rime conſanantur. Si autem inter Pellem, & Carnem conſimilia naſcuntur, inde ſudor ſcaturit putens, unde defluunt *Crines* capitis, atque Ungues Manuum Pedumque computreſcunt ac decidunt; & patientes peſſime olent, cujus ergo *Hircoſi* eſſe dicuntur. Conſimiliter inde progenerantur in quibuſvis Corporis partibus multa ſcorbutiça tubera, flaventibus maculis æmula, idque cum Febribus fortiter delaſſantibus, ſudoremque concitantibus, & quia eorum conſumuntur vires, vocantur *Syntectici*. De reliquo eſt illorum corruptio proclivis ad Acorem, atque Effectus ab Acido dulcis ſaporis eſt, comitatu prolixorum accidentium ſtipatus, prout antea commeminimus.

Eſt itaque, prout ex dictis colligere eſt, Sapor Viſcoſus ſeu inſipidus duplex: alter nempè naturalis, alter præternaturalis. Naturalis, quà talis, peccat nunquam, quatenus verò mutatur in acrem, non poteſt non peccare. Præternaturalis, qui Putrefactionis ſoboles, peccat ſemper. Duplex ergò in ſanando adhibenda etiam Methodus. Prior duplicem in ſe continet modum: vel enim Acorem corrigit, ſicque ſimpliciter tantum, ſequitur Caput undecimum de Sapore Acri: vel Viſceribus Mucum ab Acore eroſum reſtituit, illinendo ſcil. eademmet oleo Amygdalarum, ſeminis Cannabis, Cucumeris, Cucurbitæ, Citrulli, Lini, Nucum juglandium, Pinearum, Piſtatiarum, Ovorum, Raparum, &c. Si verò mucus iſte nimis crebro repetitis purgationibus aut Dyſenteria Ventriculo, Inteſtinis, Veſicæ, &c. ſit ſubtractus, commodius adhibentur Mucilagines, ſem: Cydoniorum, radic. Altheæ, Conſolidæ majoris, Fænugræci, ſem. Lini, ſem. Malvæ, ſem.

 Pſyllii,

Pſyllii, Gum. Ceraſorum, Prunorum, Tragacanthi, Terebinthinæ lotæ, &c. Poſterior corruptioni, ex qua ſapor hic inſipidus profertur, ſe opponit, eamque Sulphureis amaris, prout in præcidenti capite etiam dictum, expugnat.

Index Morborum.

Anhelitus difficultas, Aſthma.
Carcinomata ſanguinolenta, Capillorum deplumatio.
Diarrhœæ.
Epatis intumeſcentia.
Febres acutæ — Delaſſantes. — Continuæ.
Gravedo, Glandularum pancreatis obſtructio.
Hircoſus Morbus.
Inteſtinorum obſtructio, inflationes.
Lienteria, Leucophlegma.
Naſi deſtillatio, Nictalops.
Pupillæ dilatatio.
Splenis intumeſcentia, Scorbutica accidentia fœtentia, Syntexis, Stupiditas.
Tubera Scorbutica.
Viſus defectus, Uveæ egreſſus, Venarum Meſeraicarum obſtructio, Varices.

CAPUT XV.

Deſcribitur. 1. Sapor pinguis ſive Oleoſus. 2. adducitur ejus uſus, ut & nocumentum ex ejus corruptione proveniens, quod 3. declaratur exemplo de bile adducto, ut & acido fermentali ſtomachi Tartareo. 4. Enumerantur morbi una cum methodo iiſdem medendi. 5. adjiciuntur aliqua notæ ſcitu neceſſariæ. 6. Notatur

tur Galenicorum ignorantia. 7. *Affligitur ejuſdem antidotum, ut etiam* 8. *Index Morborum ex pingui ſapore prodeuntium.*

OMnis Sapor pinguis, ſive quodcunque mactari pinguis, ſeu Oleoſi nomine poteſt, eſt quoque tertium ſal Sulphureum, compoſitum ex duabus diverſæ naturæ eſſentiæque rebus, velut ex prædominante ſulphure volatili maturato in ſal fixum commune ſubacidum, idque in Mercuriali humiditate inſipida, & bene digeſta, & per digeſtionis tempus converſum in tale ſal pingue, ſeu ſal Mercuriale. Sane hoc ſal oleoſum, ſeu Mercuriale eſt, propter ſuam Nitroſitatem bene maturatam omnibus interioribus Corporis Viſceribus pergratum atque nominatim Glandulis Inteſtinorum: Nequaquam vero propterea quod, prout Nugatores fabulantur, omne oleoſum & ſulphureum ſit calidum. Imo vero inde eſt, quod omne Oleoſum ſive Sulphureum ſine voluptate inungit. Quum ergo tale Sulphureum oleoſum dulce, ſive ſalinum, volatile fixum, in talem liquorem fuerit immutatum, atque tunc cum ſale ſubacido fermentativo præcipitatum coagulatumque, ilico hoc Tertium ſeſe in toto Corpore, per omnes illius fibroſas, membranoſas pelliculoſaſque partes ſimiliter Oleo Olivarum ducendum per Goſſypium præbet, atque ita illæ pro requirente cujuſque partis peculiari indole, Adipe vel molliuſcula, vel duriuſcula inveſtiuntur, ac perunguntur, quominus illæ ab ullo corrodente Acido, aut ſale Acerbo, ſive Acri, nimiis doloribus cruciatibuſque imbibantur, corrodantur & contrahantur, prout tales obeſitates, pingueſque coalitiones cum in hominibus, tum in brutis animantibus potiſſimum comperias, videlicet in *Peritonæo*, *in*

in Meſenterio, *in Renibus*, *in Corde* & *Veſica*, Corporiſque Hypochondriis, quippe quoniam hæ partes in humiditate jacent omnes, proclivitatique ad corruptionem ſubjacent maxime. Quapropter de omni *pinguedine* ſive ſulphureo ſale dulci dici meritiſſimo jure poteſt, ipſum eſſe Balſamum Naturæ genuinum quo ſe omnis ſubſtantia inungit, & ab effectu humiditatis in corruptionem proclivis præſervat, cujus ope omne intractabile fit ductile ac flexile, cujus beneficio omnia Vegetabilia in ſuo Vigore creſcendi perpetuo procul ullo obſtaculo protinus aguntur, atque à ſuperfluæ humiditatis corruptricis natura conſervantur, cujus denique præſidio omnia nutriuntur, compinguntur ac in ſanitatem reſtituuntur, tam intra quam extra humani Corporis partes.

Quod ſi in una aut altera memoratarum parte accidentaliter per inflammationem corrupta earum Pinguedo fuerit, prout ſæpe comperias, illud contingit atque vergit in maximum partis illius damnum; Quo quis fuerit oculatior, eo melius quoque hoc maxime omnium conſpiciet in pinguedine ſucci biliarii, quippe quod quamprimum illam inceſſit aliquis venereus pruritus ſeu libidinoſa ſalacitas, eadem omni fermentationi adverſatur.

Quum igitur ex vi utriuſque Naturæ ſeſe perfacile in unam puta *oleoſitatis* & aquoſitatis, cum utriſque ad inſtar ſaporis commiſceat, illa omnibus Corporis partibus, ſive in Humiditate ſive Pinguedine degentibus inſigniter nocet, omnium tamen maxime ſi illa ſeſe cum ſalibus lixivioſis atque urinoſis fixis in unum omnia fermentans Smegma inſinuaverit, quippe à quo vel ipſa Oſſa dura emolliuntur, ac eroduntur tanquam à Nitro pingui.

In

In Ventriculo Ilibuſque per Sal Nitroſum non modo Fermentale Acidum mutatur in Urinoſum Sal, ſed per conſequens etiam ita alterat, ut omnes Cibi Nutrimentum elargientes evadant ab aggreſſione omni immunes. Jam vero antea inter ſuperiora quadantenus meminimus de hoc Tartaro digeſtivo Acido, ſtomachico ſive inteſtinali Pancreatico, qualiter hujus ope illis Fermentum promoveatur, atque tales in Nutrimentum præparentur, quippe quó deſtituti illi de ſe nullam prorſus ſuſtentationem partibus Corporis ſuggerere poſſunt. Taceo quod tandem ſe huc inſinuet putrefactio qualis ſuo fœtore flatus, flatus Effervefcentiarum corrumpit nutrimentumque ulterius partium Corporis omnium impedit. Inde namque Alvi excrementum fit limoſum ac argilloſum, urina aſſimilis Cereviſiæ fæculentæ ac muco, ſudor verò Pinguedini oleoque æmulus teterrimum ſpirat Odorem. Perfacile autem inde ad extremum proficiſcitur quædam Atrophiæ ſpecies, univerſumque Corpus præpingui perfunditur ſedimento, æque atque ſcrophuloſis hinc inde Accidentibus compluribus, de quibus ſupra egimus uberius.

Cæterum hæc Pinguedo ſive Nitroſitas vel mera, vel pro indole ſuorum ſalium Sulphurumque mixta cum noxiis fœtoribus, ſaporibuſque, aut ſemper aut plerumque progignit pro ipſorum more pleraſque inflammationes fœtidas putridaſque, pleraque Accidentia, graves morbos, diuturnaſque febres Pancritium, id eſt Carnis Excreſcentia ſpongioſa cum Verme, ut in India etiam invenitur: Item Ani Excreſcentiæ, quæ vocantur *Hæmorrhoides cæcæ*, & in Veſica Iſchuria ardentiſſima & dolorifica.

Exempl. Gr. ſi quis ſaltem nonnihil Adipoſitatis vel Nitroſitatis comeſtæ in Ventriculo habuerit,

buerit, cui acceſſerit ſuccus Pancreaticus, aut ſi quis aliquod aliud Acidum vel comederit, vel biberit, vel ſaccharum aut Mel facile aceſcens deglutiverit, ex tempore in ſe ſentiet talem Efferveſcentiam, qualis concitabit multos flatus, Paſſioneſque Colicas. Quod ſi fuerit affluxus fellis amari, ex tali mixtura naſcetur mordax ſal Acre multifariùm noxium adferens interne vel externe, quippe quale nulla magis reperitur præditum proprietate vel pinguedinis vel dulcedinis ex ſaccharo.

Quod univerſum ego omnibus expertis Medicis ac Chirurgis rationalibus commiſſum volui, ut ipſi omnia, atque ſingula ſecundum Morborum requiſita, ad conſanandum dirigant, per conſentanea Naturæ Media ac Remedia, ex commemoratis ſupra obſervationibus Odorum, Fœtorum, ac Saporum, Mercurii, Sulphuris, ac Salis, Fermentationis Efferveſcentiæ & Putrefactionis. Enimvero quicunque Effectus malignos Venenorum Morbi cujuſvis pariter atque Antidota Venenorum illorum dexterrimaſque auferendorum illorum Vias ſat recte callet, ille optimo Jure ſic philoſophari poteſt; *ſublata cauſa tollitur effectus.*

Non mihi hic tempero, quin ex quotidiano, ignorantium Magiſtro, uſu adſcribam, quod in Ventriculo (ſimul atque ille aſſumpſit nimium pinguedinis, cui acceſſit dulcedo aliqua ex ſaccharo vel melle) continuo ſe prodat Efferveſcentia quædam, atque per fellis interventum inde progeneretur Acidum Acidiſſimum, ſive Acre ſal Tertium, de cujus vi noxia tantum antea memoravimus, ut hic nihil amplius addamus, niſi unum cum altero nequaquam convenientiæ quicquam habere, neque reſpectu Dulcedinis neque ratione Pinguedinis.

Quid

Quid multis? Eximius aliquis Chymico-Medicus callet talem inſignem Methodum, Arti Naturæque congruam, quali ipſe Fermentando poſſit in humano Corpore Hyperphyſicum Amarum mortificare Acidi cujuſdam beneficio, & vice verſa, atque ita ex immutátione Naturæ apparare ſal Nitroſum & quaſi ſal commune. Ita enim videre eſt in præparatione Tartari Vitriolati. Qualiter in immutatione Fermenti Sulphurea Amaritudo Tartari a Sale Acido Vitrioli præcipitetur, aut qualiter ſibi hoc depaſcens Oleum Acidum Vitrioli in Sulphure Amaro inter depaſcendum mortem afferendo in fixum corpus tranſmutetur, ſeque perimat, atque ita fiat tale ſal Tertium ex his ambobus, quale neutri iſtorum ſingulorum neque Aciditate, neque Amaritie, neque Sapore, neque effectu eſt æmulum, ſed Urinoſum & tantum non ſalſum ſalis communis ritu. Si quis Calcis vivæ lapidem cum Aceto præcipitaverit, inde conſit tale Sal dulce adſtringens Tertium, quale fere adæquatur cum ſaccharo Saturni. Tali quippe ratione novit perite peritus Artis Medicus, permulta utilia Medicamenta præcipitantia, atque attractiva fixa præparare, quibus ſæpenumero paucorum dierum ſpatio, præſertim in diuturnis morbis viſcerumque obſtructionibus, multos effectus miraculoſos edere poteſt. Interea loci eſt hoc probe animadvertendum, quod (quando in una aliqua Corporis parte bilis foret magis *auſterior* quam Amarior, prout ex ſignis id cognoſcere eſt) tunc circa Sulphur Amarum præcipitationes Acetorum plus oberunt quam proderunt, idque ob Salis Acidi nimietatem, utpote cujus ergo etiam augmentum acrimoniæ, ita laborat nimietate, ut inde immanes Efferveſcentiæ appetitum adimentes progigni queant, quorum flatibus fortibus infeſtatur

feſtatur Pylorus, quandoquidem iſti ſpirant nimiopere Torridi, unde afflictati multis evacuantur ac relaxantur Ructibus acribus impetuoſis ſupernis, inferius vero crepitibus ſonoris. Quod ſi talibus meatus nimis præcluderetur, ipſi in Membranoſas felliculoſaſque partes penetrarent, ibidem procrearent, non tantum peculiares *Dolores*, Calores, Frigora, Relaxationes, Extenſiones, ac Debilitationes, verum etiam, ut jam ante commeminimus, varios morbos ac languores, idque totum juxta requiſitum illius partis, in qua præcluſi cum noxio ſuo Fœtore, ſive ſapore ſalis aut ſulphuris prædominantur. Ita namque artis beneficio contemplamur, quod non tantum ex duobus contrariis, velut ex Aquæ ac Ignis compoſitione confiat Tertium aliquod, nempe Ventus fortis, verum etiam, prout hic & ſupra, & inter agendum de Saporibus & Odoribus ſive Fœtoribus demonſtratum, quod ubi prædominans Sulphur amarum præcipitaverit ſal Acidum, ibi conflatur Tertium ſal Urinoſum, ſive Nitroſum: quod ſi ſal Acidum ope prædominantis ſalis fixi præcipitaveris, inde quoque conſequeris Tertium aliquod ſal Alkali. Si autem ſal Acidum mediante quadam non enixe prædominante ſed bene proportionata quantitate ſulphuris ſubtilis amari coagulaveris, illud fermè in ſal commune degenerabit. Etenim ſi ſal acidum præcipitaveris cum ſale Alkali, nanciſceris tertium ſal inſipidum, ſive ſubdulce ſaccharinum. Si vero ſal acidum præcipitaveris ope ſalſi, inde acquires factum Tertium ſal aluminoſum dulce. Sed enim ſi oleoſum dulce præcipitaveris mediante ſale acri, inde habebis Tertium ſal acidum. Sed enim ſi ſal Tartari cum aceto diſtillato imbueris fit ſal tertium ſimile Tartaro crudo vulgari, quod apud Adeptos aliàs vocatur *Tartarus regeneratus*.

Quod

Quod ſi quis ſpiritum *oleoſum* cum ſpiritu auſtero miſcuerit, inde fiet ſal volatile Armoniacum; ſi quis autem album oleoſum aniſi vel fœniculi dulce præcipitaverit, ac digeſſerit cum ſulphureo Vitriolato, puta floribus Sulphuris, inde ſibi obtinget Tertium nigricantis Coloris Amarum pingue. Etenim ſi quis ſpiritum Acidum cum Sulphureo Amaro Vitrioli Lunæ in digeſtione miſcuerit, inde paratur tertium aliquod fellei amaroris ac Tinctura nigricantis coloris in cæruleum inclinans.

Cæterum ſi quis Oleum Cinnamomi cum ſale fixo Tartari univerit, inde gaudebit enato tertio, ſale volatili. Porro ſi quis ſal Urinoſum ex ſalis Acidi Sulphureique amari mixtura conflatum aliquandiu in digeſtione ſtare paſſus fuerit, viciſſim mutatur in amarum, atque ita amaritudo ſemel verſa introrſum, eſt denuo converſa extrorſum, ſi autem acetum vini cum aliquo Calcis ſale fixo mixtum in digeſtione ſteterit, non tantum progenerabitur ſal dulce ex acido, verum etiam ſal ſulphureum, quale urit ſimiliter Spiritui Vini, quandoquidem ipſius converſum introrſum eſt per Aceti factionem denuo verſum extrorſum.

Quod ſi ſaccharum vel Manna, aut Pruna Dulcia, in digeſtione ſteterint, cum pauculo Panis, aut etiam per diſtillationem ex Retorta Acetum forte in Ceruſſam aut Lithargyrum profunditur, immutatur viciſſim in ſaccharum dulce adſtringens. Quali igitur ratione in digeſtione ex inverſa *dulcedine* ſacchari, mellis aut Mannæ generatur Acetum: tali etiam in Fermentatione ex inverſa Abſinthii lupulique amaritudine dulcedo naſcitur grata.

De hac, conſimilibuſque immutationibus in Arte Naturaque per fermentationes, efferveſcentias putrefactioneſque vel aliquot Myriades obſervare

eſt, quippe quoniam hæ ſunt illuſtrantiſſimæ Medicorum faces, quarum ope conſpicere poſſunt, cur ipſorum Amari, Dulcis, Acidi, Acerbi, ac ſalſi Odores, Fœtores ac Sapores per fermentationes, Effervefcentias, aut Putrefactiones, producti, beneficio ſuæ radicalis invertentis maturantiſque proprietatis nunc in uno homine operentur hoc ſive boni ſive mali, nunc in altero contrarium, idque univerſum juxta requiſitam proprii peculiarium Viſcerum *fermenti*, aut Effervefcentiarum proprietatem. Cujuſmodi in Artis opere contuemur, quod tali pacto ex Creaturis omnibus inde pateſiant mutationes Sulphurearum, Salinarum, Mercurialiumque proprietatum. Etenim naturaliter per has tum Antimonium tum Mel de ſe exporrigunt, Venenum æque ac Medicamentum, differuntque inter ſeſe non niſi in hoc, quod Mel ante præparationem eſt Medicamentum, poſt præparationem vero Venenum: Antimonium autem eſt quidem *Venenum* ante præparationem, ſed poſt eam Cordiale Remedium ſeu Alexipharmacum.

Quin quemadmodum conſimiles ſumpti Cibi ac Potus tot mirificas Fermentationes utiles *Efferveſcentiaſque* perniciofas progignunt, non minus huic ad convaleſcendum, quam illi ad ægrotandum ac labefactandum.

Neque eſt quod quiſquam plumbeorum ignavorumque Galenicorum Aſinorum *imperitorum* demiretur (excipiuntur curioſi & cauti Medici Practici) ſi quando eximius aliquis Paracelſicus *Chymico-Medicus* frequenter ait, quod in hominis Ventriculo, Inteſtinis aliiſque partibus habeatur Tartarus ob gliſcentem ibidem Acorem; vel forſitan alumen, cum ibi adſit ſapor Auſterus; vel Vitriolum, ob præſentem ibi ſaporem Acerbum; aut etiam aliquod *inſipidum*,

pidum, ob aliquem ibi deprehenſum ſaporem Calcis; aut fortaſſe Nitrorſum, ob repertum ibi aliquod Pingue; aut etiam Sulphur, ob revelatum ibi Amarum; aut forte etiam ſaccharinum ſive mellineum, ob annotatam ibi dulcedinem aut ſubdulcedinem, aut fortaſſis etiam ſalſum ob inventam ibi ſalſedinem, aut etiam ſal Armoniacoſum ob animadverſum ibi ſaporem Acrem; aut denique etiam aliquod Alkale ob exſtantem ibi ſaporem fixum urinoſum. Hæc *Metamorphoſis* non ſolum artificialiter & naturaliter in hominis ſtomacho, ſed etiam in totius Corporis Ventriculis, fit ex Vapore ſive ſapore Acido mixto cum Sale Alkali ſtatim tale tertium, ſalſum volatile & Armoniacoſum, ut dictum de ſalis Tartari, & Olei dulcis mixtura.

Admonet præmiſſæ brevitatis fides, quanto omnia tranſcurſu dicenda ſint de prædictis conſimilibus Terminis Naturæ conſentaneis compluſculis, quippe quales ſunt ſal maxime neceſſarium, atque utile ad Medici intelligentiam conſervandam. Enimvero quamvis hebes Bœoticique ingenii Medicus ſuis inexercitatis atque in nicotiana ac vino occæcatis mentis Oculis intellectualiter cernere nequeat, nihilo minus tamen verum eſt, herbas creſcere in pratis ac hortis, etiamſi à nemine ſpectetur, & ſonoros Ventorum flatus audiri, licet neſciatur, quorſum eorum quiſque feratur. At enim Paracelſiſtis ſuâ cæca intelligentiâ ovantibus hæc Candela ocularis plus operis præſtat, quam ullis intelligentiæ oculatæ *Galeniſtis* fax decumana. In hoc namque unico reperias illud Antiquorum: *Omnia in omnibus* ſolum ad univerſum.

Quinimo hoc ſolo mediante per Naturam & Artem ſive Chymiam ſecundum propriam cujuſque temporis requiſitam *digeſtionem*, Fermentationem,

putrefactionem, & Efferveſcentiam, omnes ſive boni ſive pravi Sapores, Odores, formoſi deformeſque, mixti ac meri Colores duriſſimæ ac molliſſimæ ſubſtantiæ pariter atque eorundem ſanitatis invaletudiniſque eſſentiæ parantur. Horum autem omnium exacta cognitione animum imbuiſſe eſt ex generoſa matrice verorum Philoſophorum Phyſicorum nobiliter originem traxiſſe.

Cum verò ſola Theoria ſine Praxi in Medicina ſit nulla, antidotum etiam recepta mihi Methodo ſubnectam. At vero, quia Sapor pinguis, quâ talis, non peccat; peccat vero quatenus mutatur in acrem, quod accidit interventu dulcedinis vel Mellis vel Sacchari, ut ſupra notatum, correctorium etiam contra eundem adjicere non poſſum. In quantum vero in acrem eſt mutatus ſaporem, caput undecimum de Sapore Acri, quod antidotum tibi patefaciet, reſpiciendum. Ibidem etiam invenies Indicem morborum.

CAPUT XVI.

Statuit autor 1. chylum in inteſtinis à craſſioribus ſecretum non ſtatim eſſe merum nutrimentum; Nec craſsiora ex chylo remanentia in inteſtinis illico excrementa, ſed poſt uberiorem demum fermentationem. 2. Enarrat excrementorum uſum atque Symptomata. 3. Aſſeritur in purgationibus ſucci glandularum reconditum eſſe omne ſanitatis fundamentum. 4. Chylus maturatus rubroque tinctus colore vehiculum dicitur animæ, atque germana Panacea refocillans. 5. Explanatur fellis generatio atque uſus.

ſus. 6. Statuitur Excrementa, vulgò ſic dicta, non eſſe excrementa, id quod probatur inductione petita (α) à capillorum, (β) aurium ſordium, (γ) ſalivæ, (δ) unguium, (ε) lactis mulierum, (ζ) ſanguinis, (η) ſtercoris, (θ) urinæ, (ι) menſtruoſi ſanguinis, (κ) ſecundinarum, (λ) ſpermatis, (μ) halitus, (ν) ſudoris, (ξ) adipis, (ο) calculi, (π) corii, (ρ) medullæ uſu, quem præſtant, inſigni.

Exploratum eſt nobis ex antedictis, quod virtute Fermenti ſeparatoria in Inteſtinis Chylus à craſſioribus ſecretus, non continuo ſit merum Nutrimentum, aut ſanguis, Lympha, Adeps, Medulla, Cartilagines, vel oſſa ac Caro, ſed demum poſt multiplicem novam Refermentationem ac Circulationem in illa immutatur: ita etiam craſſiora ex Chylo remanentia in inteſtinis non illico fatiſcunt in Excrementa humoreſque inutiles, velut imperitiores Nugigeruli vulgi Congerrones fabulantur, ſed poſt ulteriorem Fermentationem talia Excrementa adhuc amplius de ſe præbent ingens demum Nutrimentum ſuique Emolumentum. Etenim hac via non tantum ad primum Fermenti infuſum ſucci Pancreatici ſubacidium dulcificatur, atque ita in obſtruente more Venarum Lactearum, Oſculorum corrigitur, ſed eorum etiam Fermenti, flatus patefaciunt omnia ipſorum Oſcula, atque ſubtiliſſimum & optimum, ſapidum, Odoratum cum Chylo, propellunt omnium fortiſſime in illa, cujus Fermenti quoqe flatus ipſi non tantum Alvum ad exinaniendum cient, ſed tales etiam permeant omnes

Corporis Poros, meatuſque fluxionum, Carnis, Medullæ, Oſſiumque concavos, atque proinde in morbis venenoſis obſtructio Alvi eſt reſtitutio ægroti, ideoque nocumento eſt ingenti Medicis omnibus, quales ab ipſo ſtatim morbi initio talem Magnetem eximium Catharticis ipſimet inficiunt, atque corrumpunt. Tametſi igitur Excrementa ex optimo Odore aromatico per putrefactionem Naturæ congruam, in teterrimum *Fatorem* ſaporemque convertuntur; comperias tamen, quod ex oleto putentiſſimo fragrantiſſimi ſapidiſſimique cibi ac fructus procreſcant. Atenim ſi tale mendacium eſſet Oraculum veridicum, quod quævis Alvi Excrementa, Urina, Sudor, Sputum, Mucus, Oculorum Lachrymæ, exſtillans Aurium humor, Bilis, Menſtruum, Sperma, lac, Crines, Ungues, morborum radices ſint Sulphurei, ſubtiles, aut rudes *Odores*, ſalina dulcedo & amarus ſapor; nuſquam gentium reperias unquam, vel unum ſanum hominem, neu ullam aliam creaturam. Quemadmodum enim videre eſt, quod ſubtiles ſegregati humores, nempe Chylus, Sanguis, & Lympha juxta Fermentum à ſua indole requiſitum, ſunt corruptioni multimodiſque Venenorum genetricibus Efferveſcentiis obnoxii: ita etiam ipſorum ſuperflui humores craſſiores iſta via ipſimet ſubjacent corruptioni, atque morbos progenerant.

Hinc Merda tunc eſt graviter olida, pinguis, ponderoſa, venenoſa, atra, viridis, flava.

Symptomata ſunt Diarrhœæ, Dyſenteriæ, ileos ſive Colici dolores, Lienteria, Teneſmus, Alvi obſtructiones & lumbrici; Urina eſt ſaturo rubore, aqueoque pallore tincta turbida, multicolore ſedimento oppleta graveolenſque, quorum Symptomata ſunt Exulceratio Veſicæ, vel Renum Calculus, Stran-

Strangutia, Urinæ oppreſſio ac deſtillatio, Dyſuria, Iſchuria, Diabetes.

Saliva Oris eſt nimio tenacior, tenuiter ſpumans, ſalſa marinæque aquæ ſaporem referens, amare acidula, dulcicula, fœtida, ſaporeque ingrato referta.

Symptomata ſunt Scorbutus, Corroſio Dentium, Aphthæ, Glandularum inflammatio, Cancer aquaticus, Spaſmus Cynicus, Tetanus, rancidus Dentium ſtupor, Odontalgia, Angina, Paraſynancha, Tonſillæ, columellæ inflammatio atque ſputum immodicum; *Sudor* eſt immodicus, copioſus ac pallidus, flavus, tenax, unguinoſus, acidus, ac graviter olidus.

Symptomata ſunt non pauca, Scabies, Lepra, Squaminæ, Mellis maculæ, & ſcorbuti labeculæ, Papulæ rubentes, Morbilli, Prurigo, Puſtulæ, Epinyctes, ulcuſcula, Pſydracia, Verrucæ, Pſora, Prurigo, Morphæa, Herpes, Elephas, Fluxus uterinus.

Mucus eſt nimio fortius fluidus, lentus, aquoſus, tenuis, veſicas & carnem corrodens, viridis, flavus, leucophæus, ater, glaveolenſque eſt: Symptomata ſunt Suffocationes, Epilepſiæque Uterinæ, Prolapſus Uteri, Carcinoma Uterinum, ac Tumores, Menſium Profluvium, Menſium obſtructio ſive Suppreſſio, Abortus.

Sperma eſt nimis aquoſum ſive ſubſtantioſum, aut etiam viride, flavum, leucophæum, acriter ſtimulans, ſecans, lumboſque inflammans.

Symptomata ſunt Spermatis Fluxus, Dolor lumborum, Febris hectica, Paraſtatarum Exulceratio, Gonorrhœa, Onirogonos ſive imaginaria Venus, Satyriaſmus, Lues Venerea; Crines & Ungues molleſcunt, fœdum colorem imbibunt, decidunt, ſuppurati defluunt, atque à Lue Venerea deplumantur, aut corripiuntur Morphæa, Lepra Græca, Pſora &

ſic conſequenter in humoribus omnibus, quorum quiſque ſecundum indolis propriæ Sulphureum fœtorem venenoſum, aut Salini Saporis virulenti Efferveſcentiam corrumpendique morem, ſuos quoque Morbos, defectuſque ac Mortis ſigna producunt, quamprimum ipſorum fermentum ab operatione ſua ceſſat. Atenim omnia hæc commemorata Excrementa, quamdiu ipſa ſuum naturalem fixum Fermenti fœtorem Sulphureum, Salinum Saporem Mercurialemque humorem retinent, non ſunt niſi Magnetes, quales per ſuam craſſiorem Sulphuris vim omnes venenoſos Fœtores, Saporeſque ſumptorum ciborum potuſque corrupti nutrimenti in Chylo;, Lympha & Sanguine non corrigunt, ſed fugacia etiam Sulphura ac Salia attrahunt, non quidem qualiter Magnes inde ferrum tantummodo attrahit, verum etiam velut aqua frigida atque nix glaciale gelu gelidamque glaciem ex afflictis ac conſtrictis frigore membris, Ovis, Pomis, ac Pyris extrahit: Aut velut ignis ardor ex aduſtis Membris, per ignem ferventem, ſpiritum vini, Eſſentiam Sulphuris, Porrum, Cæpas, muriamque extrahitur. Longus forem ſi recenſendis cæteris attractionum variarum viis, ac ſemitis ulterius immorarer.

Tametſi non ignoro perpaucos Medicorum veterum de mirificâ Fermenti proprietate, per glandularum ſuccos, ſive ſuccos Lymphaticos promovenda laborare atque curare, quæ proprietates purgandi convenientes naturæ ſunt, multifariis viis ab aliis arte præparatis longiſſime diſtinctæ; nihilominus tamen in illis reconditum eſt totius ſanitatis Fundamentum. Quippe ſeparata ſumptorum omnium Ciborum ac Potus pars optima & ſubtiliſſima per fermentum beneficio circulationis colligitur,

ligitur, concentratur, coagulatur, atque tandem in tale ſubtiliſſimum Oleoſum, Sal volatile mutatur, quale poſt ultériorem cum Arteriali ſanguine miſturam, non ſine frequentiore tamen Circulatione, tandem alteratur, nanciſciturque præpotentem rubedinis ſaturæ tingentem naturam Sulphuream, atque hæc venuſta rubedinis ſaturæ tinctura, eſt non modo vehiculum Animæ vegetativæ, ſed germana Panacea refocillans, cujus præſidio illa ad uberius incrementum ac Nutrimentum in perpetuo vegetantis vitæ motu ac colore conſervatur, atque in ſanguinem Arteriarum Venarumque invehitur, ex quo tingente ſanguine in circulatione ex Corde in Cerebrum provecta coaleſcit Glandulofa ſpongioſaque ſubſtantia, ejuſque Lympha digeritur, unde ejus Lymphæ ſpiritualiſſimam oleoſiſſimamque Vim, Cerebrum tanquam ſpongia trahit, illiuſque ope per Muſculos, partes Nervoſas, earumque Membranarum Lympham Oſſiumque Medullam fermentando confortat, ac nutrit.

Conſimiliter igitur ratio ſeparandi Sulphur felleum ab Obryzo ſeu Auro optimo, atque exaltandi illud in ſublimem Tincturam, atque ita concentrandi, ut viliorum Metallorum Sulphura, in ſuo gradu exaltentur in talem Tincturam ac Fixitatem ut per quandam in illa introductam fermentativam aureæ indolis Vim ac Vitam in Aurum ſublime ipſa tingantur, à multis Alcumiſtis ſtolidis jam dudum tali irrito conatu indagatur, ut nunquam inveniatur, quanquam ab *Adeptis* divulgatur.

At enim tingens craſſius illud Sulphur Felleum, memoratæ rubedine ſaturata Tincturæ ſan-

guinis, qui etiam per ſuos peculiares Ramos ſive Ductus ſeparatus, in Arteriis circulantibus, venenoſoque ſanguine inde tranſvehitur in Veſiculam felleam, eſt Sal plane ſingulare Oleoſum, Sulphureum volatileque, dulce, ſecus quod ſe quoque ſimul infundit quoddam prorſus ſingulare Lymphaticum, Mercuriale ſal dulce ex ſucco Glandularum Lymphatico ſeparatum ex cujus utriuſque mixtura ibidem digerentis caloris epatici ope Sulphur dulce in Amarum, dulciculuſque Mercurius in ſubacidum convertitur, atque tandem per ulteriorem fermentationem ex amara pinguedine ſulphurea, atque ex Acidula ſubſtantia ſalina in ſubtilem humiditatem Mercurialem, Amaritudo prorſus Nitroſa, *Fel* nominata, quod ob ſuam nobilem, ſubtilem peculiaris humiditatis calentem proprietatem, non tantum in Ventriculo, Ilibuſque adminiculo ſucci Pancreatici juxtim infuſi evaſit genuinum naturæ conveniens Sal ad promovendum Chylificationem, verum etiam ut prædiximus, verum *naturæ* fermentum, ſive balſamus univerſalis Viſcerum totius Corporis, ad conſervandum Ventriculorum partiumque humorem, & ad ſeparandum à ſuo ſuperfluo per fermenti operationem, & ad digerendum purum in aliquod Nutrimentum & ad ſecernendum craſſius ab iſthoc, & ad expellendum denique per ſua Emunctoria poſt ulteriorem fermentationem ſufficientem. Atque ita Fel in officio ſuo naturali à me conſideratum jure meritiſſimo nominari poteſt Naturæ Sapo, quippe quo Morbis Accidentibuſque omnibus, producentibus tetros fœtores ſaporeſque putrefactionum reſiſtitur, eaque tanquam Excrementa fixa per Alvi laxationem, Urinam, Sudorem, Sputum, Mucum, Oculorum lachrymas, Aurium Unguentum, Crines, Unguiumque pinguem humidi-

miditatem fermentando eluuntur, *Magneticeque* attrahuntur atque expelluntur. Quemadmodum enim ſubtiliſſimum arterialis ſanguinis præbuit ſanguini memoratam ſaturæ rubedinis Tincturam: Ita etiam illius ſuperfluum poſt ulteriorem digeſtionem in *Veſicula* fellea præbet in Alvi exoneratione flaventiſſimam Tincturam.

Porro eloquar, an ſileam? Si fas eſt ſcribere, ſcribam, quod plerique Alcumiſtarum ſibi ex iſthoc Sulphure Animali, ſunt conficere Tincturam Lapidis Philoſophorum conniſi, quippe quorum nonnulli in tale Phantaſtici delirii genus inciderunt, ut ego ex illis duo noverim nomina, à quibus ſua ipſorum Merda eſt cum ejuſdem Tinctura per aliquot annos comeſta, illuſis credula ſpe prorogandi ſibi taliter Vitam; ſed uterque eorum extincti ſunt, unus quidem Atrophia, alter vero Fluxu Hæmorrhoidali, atque ita ambo in oletum converſi, præter optimam Artis indolem propriam.

At enim memorata ſuperflua ſana ſive Excrementa, non eſſe Excrementa, liquidò conſtat ex eorundem uſu ſalutari, quippe quoniam 1. ex Capillis, 2. Aurium ſordibus, 3. Saliva, 4. Unguibus, 5. Lacte, 6. Sanguine, 7. Stercore, 8. Urina, 9. Menſtruoſo ſanguine, 10. Secundina, 11. Spermate, 12. Calculo, 13. halitu, 14. Sudore, 15. adipe, 16. Corio humano, 17. Medulla in Oſſibus, &c. comperias mirifica medendi media ac compendia ad reſtituendam in integrum ſanitatem humanam præparata convenienter Naturæ Artique, prout per exempla pauca non minus à me indicabitur, quam ab aliis Medicis curioſis jam ante me eſt commonſtratum. Proinde jacta ſit alea agendi

I. *De*

I. *De Capillis.*

Odor capillorum crematorum ſæpenumero ſedat ſuffocationem uterinam. Crines abraſos ac probe conciſos ſi per retortam deſtillaveris, extractoque oleo loca depilata illeveris, efficies, ut pili renaſcantur, ſicubi defluxerint ex palpebris, capite & barba. Qui vero dexterius depilatis iſtiuſmodi locis medicari voluerunt, adhibuerunt hujus deſtillati liquoris ℥j, ſpiritus mellis ℥iij, atque ita, ut prædiximus, effectum dederunt, ut capillus in partibus calvis recreſceret. Alii denique præparatione uſi ſunt inſequenti, dum crines abunde lotos recenti adipe ſuilla largiter inunxerunt addendo ſal exuſtum, atque tandem ad lenem ignem deſtillando ex retorta oleum formoſum, quod uſurparunt, ut ſupra memini.

II. *De Aurium ſordibus.*

Exſudans aurium arvina, ob vim ſuam ſanandi præfertur omnibus pretioſis balſamis vulnerariis. Quando enim vulneribus recrudeſcentibus ac rhagadibus ſeu fiſſuris ortis ex cœli inclementia aut ſalſis fluxionibus acrioribus nullum inveniri aliud remedium poteſt, veſperi duntaxat puſillo ejus inungas partem læſam, ita mane reperies eam funditus ſanatam. Quicunque vero cæterorum conciliare huic remedio meliorationem deſiderant profuturam aliis quoque corporis vulneribus copioſiore illius quantitate indigentibus, iſti illud ampliant addendo ejuſdem unciæ uni balſami de Peru ℥ij unguenti dialtheæ ʒiij & applicando locis affectis

affectis ope minuſcularum Carpiarum ſeu linteamentorum pertenuiter raſorum, unde effectus medicinalis conſequitur mirificus.

III. *De Saliva.*

Plerifque carnis ſpongioſæ excreſcentiis, ſi duntaxat aliquantam jejuni hominis ſalivam ſingulis matutinis alleveris, figetur illius accreſcentiæ fermentum, & per hanc nutrimenti ademptionem abſcedunt talia germina ſeu excreſcentiæ. Quinetiam puſtulæ rubicundæ in facie papillæ lactantium fœminarum fiſſæ, fiſſique digiti ac labia curabuntur, ſimul atque illis hoc remedii allatum fuerit. Tali quoque ratione corrigitur venenum omne attractum ex ictibus viperarum, ſerpentum, neparum, aranearum, apum, tabanorum atque culicum. Eadem etiam mortificat Mercurium vivum currentemque, eundemque in tale convertit unguentum, quali peregrina ſive rara multa patrabis, ſi ſcitu ad hæc neceſſaria non ignorabis. Cumprimis autem hæmorrhoïdes, ſi quando talem ſalivam illis alleveris, perbrevis temporis interjectu ita ſanabuntur, ut nuſquam amplius compareant. Cæteri vero, qui hanc ex ſani jejuni hominis ore collectam ſalivam mane, leniter deſtillaverunt, illius beneficio non tantum memorata curandi genera præſtiterunt, ſed adhuc etiam alia multo expeditiora ac meliora. Quinetiam illius adminiculo fixum reddiderunt Mercurium vivum atque Turpethum minerale, frequentibuſque deſtillationibus omnem ei acrimoniam noxiam ademerunt.

IV. De

IV. *De Unguibus.*

Si neceſſitas imperat utendum eſſe vomitorio, ſine ullâ noxa aſſumi in cochleari pleno cereviſiæ aut vini poterit aliquantulum ſcobis ab unguibus hominis ſani abraſæ, utpote cujus vim operatricem protinus ſenties per emunctoria tam ſuperiora quàm inferiora. Cæteri vero qui rebus ſuis melius conſulere inſtituerunt, ʒj ramenti unguium hominis ſani in phiolam vitream indiderunt, cui ſuperinfuderunt vini Rhenani generoſiſſimi ℔j quam mixturam ad tempus ſufficiens calori expoſitam, ac bene digeſtam per chartam emporeticam trajecerunt ſeu filtrarunt, eidemque deinceps in lagena probe oppilata ℥j ſpiritus vini optimi admiſcuerunt, atque ad uſum futurum ſibi ſervarunt, ubi compererunt, id remedii non tantum eſſe prædictum indole movendi vomitum ſine periculo, ſed relaxare etiam alvum à multis humiditatibus putridis ſeu marcoribus: doſis ſit à ʒij uſque ad ʒvj aut ad ℥j. Quod ſi quis ad ungues mane ex jejuni hominis ſani manibus pedibuſque præſectos admiſcuerit modicum ſucci rad. Cyclamini aut pulveriſatarum colocynthidum, atque hoc remedii adalligaverit umbilico laborantium hydrope, aqua feroſa motibus incredibiliter lenibus ex corpore avehetur. Ubi tamen NB ut quaque vice idem remedii applicatum loco affecto nunquam immoretur diutius unâ hora, utpote cujus mora ſatisfacit. Hinc quandocunque excrementi unguium fermentum fuerit corruptum, multa inde venenorum febriumque genera enaſcentur. Quocirca utplurimum contigit, taliter ægrotantes ſanari ab uſurpante præſegmina unguium ex manibus pedibuſque ipſorum. Id quod nemo miretur niſi ſolus imperitus arcanorum Macrocoſmi & Microcoſmi.

V. *De*

V. *De lacte mulierum.*

Notorium eſt illud in morbis hecticis phthiſiciſque cum utilitate inſigni adhiberi, ſimul ac ei admiſcueris nonnihil ſacchari. Præſtabiliſſimum quoque conficitur collyrium ſalutare ex butyro bene loto cum polygono, quale butyrum paratur ex omni lactis ℥j, ſinas autem illud leniſſime liqueſcere in vitro minuſculo, cui deinde nonnihil aquæ inſequentis ex lacte muliebri deſtillatæ admiſceatur cum vitriolo albo etiam ℥j, & ſimul atque hanc mixturam ſpatula lignea probe agitaveris, eidem addas tutiæ præparatæ ℥j. Cujus unguenti ſi ſaltem puſillum oculis palpebriſque alleveris, calefactumque adalligaveris, omnes ophthalmiæ abſcedunt ac ſanantur. Præparatur autem talis aqua hoc pacto: ℞. vitrioli albi, lactis recentis ex uberibus mulieris puerum lactantis, deſtillando inde phlegma ad prædicti unguenti uſum: quodcunque ejus remanſerit in cucurbita, medicatur, tollens omnes vulnerum inflammationes, ſi quando ſaltem tenuioribus cum linteolis applicatum fuerit. Quinetiam medetur vitiis accidentibuſque omnibus applicitum uberibus mulierum. Item ſi quis butyro recenti ex lacte muliebri parato immiſcuerit puſillum vini Rhenani deſtillatamque euphraſiæ aquam *ana*, hancque mixturam commiſcuerit cum ſabulo tenuiori, eamque deinceps per cucurbitam breviorem deſtillaverit, primum inde aſcendet oleum medicans omnia oculorum vulnera æque atque omnes inveteratas oculorum fiſtulas manales, dummodo per ſingulos dies bis aut ter inſtillaveris guttam unam.

VI. *De*

VI. *De Sanguine humano.*

Utpote ex quo, ſi ex ſano emanaverit corpore, per retortam tale poteris deſtillare oleum, quale ſimul ac rectificatum fuerit, inſigniter medicatur epilepſiam. Item ex ſanguinis humani libra una optimique Spiritus lavendulæ ℥ij, ſi per alembicum aquam deſtillaveris, ejuſdemque guttas à 6. uſque ad 12. veſperi ac mane in aqua appropriata propinaveris laborantibus epilepſiâ, inveteratiſve capitis morbis ſive accidentibus, mirificas comperies ipſius vires medendi.

Quod ſi quis mediante ſale fixo liquoriſato deſtillaverit oleum, præſtabit illud quidem vicem balſami mirifici in compluribus malis pellendis, potiſſimam autem poteſtatem effectivam exſeret in curanda podagra non nodoſa ac contracturis.

Sunt qui delectantur nugamentis Battologorum mortomagicorum gloriantium, ſe callere artem prolectandi per deſtillationem ex illo Aquam Magnanimitatis ad animandum taliter milites leporinos, ſive meticuloſos, ut in aciem educti contra hoſtem ſtent, ac pugnent tamquam leones; vel peritiam conficiendi ex eodem philtra ad conciliandum ſibi amorem ac favorem vel maſculini vel fœminini generis mutuum: quas eſſe animi paſſiones ego quidem agnoſco, ſed interim nugatoribus pueriles nugas ſuas relinquo juxta illud vatis:

Sunt pueri pueri, pueri puerilia tractant.

VII. *De Stercore humano.*

Quippe quod quandocunque illud recens, & adhuc calens imponitur doloroſiſſimis vomicis ſeu accidentibus ſeu pelle in carne latentibus non tantum facit

facit ad talia Symptomata, ſeu mala adimenda ſeu conſananda, quippe quoniam ejus ſulphur eſt antidotum admodum forte adverſus aciditatem; ſed volatiliſat hæc fixa acida, atque ita producit digeſtionem, unde omnium apoſtematum, ſive tumorum acerrimum venenenum maturatur, atque omnes ortæ inde inflammationes tolluntur, ſoporatique podagræ dolores ſiſtuntur. Porrò terra hæc magnetica non tantum omne venenum ex vulneribus, vel ab homine, vel à cane morſis extrahit, ſed ex omnibus etiam membris ſphacelum.

Alii, tantum hujus magneticæ terræ Sulphureæ, ab homine ſano vegetoque factæ, quantum volunt capiunt, atque per retortam inde deſtillant oleum & aquam, qua aquâ ipſi medicantur multa oculorum vitia, ejuſdemque ope tollunt multa enaſcentia pterygia, atque argemas ſeu albugines. Hoc denique oleo propulſant tineas capitis, atque eodem medicinam faciunt exulcerato eryſipelati æque atque omnibus lichenibus, impetiginibuſque, ſimul atque iſthæc mala illo inunxeris; mollit ac tollit denique dolores arthritidis volantis podagræque.

VIII. *De Vrinis*

Ego hic non judico neceſſarium perſcribere uberius conſcripto de illis multifariam; uſu longo. quamplurimum Medicis comprobatum eſt, quod hominis ſani lotium per ſe, ſi quando fuerit ad partes dimidias decoctum, atque ad vulnera, inveterata mala, ſive accidentia, ac doloroſas corporis partes adhibitum, inſignem ejus curationem afferat ac inferat. Hinc etiam multi fallaces Medicaſtri ſeplaſiarii fœci vulgi credulæ conniſi ſunt perſuadere

H affe-

affectum ſui de ſympathia pulveris per diſtantiam, cum tamen ipſi vulnus non eluerint urinâ, quippe quale ſal lixiviale hoſtiliter adverſatur omni corrodenti acori, unde vulnera inflammantur, cujus violentia non pauci ſua perderent vel brachia vel crura. Quanta efficacia polleat urinæ ſpiritus, aut illius ſal volatile, ac fixum, ex aliis petas autoribus. Quid autem de eventu morbi ægrotantium ex urina præſagiri ac præſciri poſſit, ego inter ipſas ſubleſtas Medicorum impoſturas annumero, maxime vero illorum, qui pro more ſuo increbreſcente incoquunt urinam, cujus particulam ſuper lamina cuprea in igne exurunt, atque ex aſcendente inde viridi ac cæruleo coloribus, quos ſal urinæ ex cupro ſecum avehit, atque ex cinere remanente ſuam puerilem intelligentiam prognoſticam produnt, dum ex vaporibus colore cæruleo adſcendentibus dijudicant ægros afflictari intolerabilibus doloribus, ingentibus cephalalgiis, malignisque viſcerum obſtructionibus, ex quibus propullulare poſſunt Ophthalmiæ, ſurditates, tinnitus aurium, Odontalgiæ dentiumque caſus, inflammationes columellæ, oculorum ac tonſillarum, Aſthma, tuſſis, pleuris, peripneumonia, & id genus conſimilia vitia; quod ſi flamma adſcenderit ſimiliter ſulphuri vivo, prænunciant inflammationem jecoris venenumque, imminentes febres ac mala calculi. Si remanet cinis albidus poſt exuſtionem, inde prædicunt inſtare ſanationem. Cæterum ſi urina inter exurendum talem de ſe emittit fumum, qualis poſt ſe cinerem relinquit albentem, præſignificatur quidem morbum duplicari, non ſine bonæ tamen curationis ſpe. Si denique univerſa (quod ſpectaculi ſpectare ego quidem pervellem) ſine flamma ac fumo ita cremaretur, ut inde nihil niſi cinis

cinis ater ſuper bractea cuprea remaneret, foret id τεκμήριον ſeu argumentum certum mortis breviter oppetendæ. Hæc & conſimilia ſtulta nugigerulorum prognoſtica de urinis millena alia jam pertæſum eſt profuſius deſcribere; deſcribitur jamdum à compluribus illuſtris famæ nominibus quid urinæ ſpiritus ac ſal valeant in extractionibus, atque volatiliſationibus metallicarum tincturarum.

XI. *De Sanguine menſtruoſo.*

Nihil eſt, quod quiſquam credat, ejus nonnihil eſſe in corpus aſſumendum, quippe quoniam illius uſus furibundam inſaniam, abſolute procreat. Equidem à pleriſque obſervatum eſt uſum ejus non ſemel fuiſſe medicamentoſum in morbis Comitialibus inveteratis; Veruntamen gaviſuris tutiore ejus uſu, opus eſt, ut hic ſanguis obſtetricante aceto ſquillatico extrahatur ex ſubucula adoleſcentulæ, ex cujus utero ille prima omnium vice ſtagnavit. Cujus autem virginalis Rheumatis nonniſi aliquot guttas laboranti propinabis, caliduмque non ſervabis. Quid? quod filiæ adoleſcenti enixe deſideranti expurgari fluxu menſium, continuo fluxus fluit menſtruus, ſi duntaxat tres guttas menſtrui iſtiuſmodi ei propinaveris in cochleari pleno vini. Menſtruum mulierum impoſitum Chiragricis podagriciſque doloribus atque tumoribus, ita medetur ut fatiſcant & evaneſcant. Quod ſi idem Rheuma menſtruoſum ſuperimponitur ſtrumis, eryſipelati & ſphacelo, venenum inde omne extrahitur, quin etiam medicatur omnes venenatos morſus canum rabioſorum & venenoſorum animantium, ſi panni menſtruati aceto roſaceo imbuuntur lociſque læſis applicantur. Si denique quis bis vel ter ſangui-

ne parturientis mulieris vel tenuiter inunxerit infantium faciem herpete immedicabili laborantem, infallibili ille fluxus ipſis erit remedio.

X. *De ſecundinis ſic habetur:*

Quamprimum mulier à partu fuerit liberata, illius ſecundinas cum connexis univerſis capiat juvenca, ſeu virgo, iiſdemque etiamnum calentibus imponat ſuos pedes, accuratéque contegat, ita gaudebit fluxu menſium retentorum. Item ſi quis ſecundinas recentes in furno torruerit, exſiccaverit, atque in pulverem friaverit, illarum ope mederi poterit ſtrumis colli, aliarumque corporis partium. Præparatio fiet hoc pacto; ℞. harum ſecundinarum exſiccatarum ʒß, aquæ abrotani ℥iij, cujus tantundum menſe decreſcente ter aut quater imbibat æque atque in epilepſia. Item in affectibus hiſtericis, plerumque earum ʒß admiſcetur infuſioni laxanti ex ſenna & Rhabarbaro; quod remedii ibi operatur multum ſalutis. Si cui philtrum ex ſanguine menſtruoſo fuerit propinatum, illi, ſi imbiberit hujus ſecundinæ exſiccatæ ʒj ex vitro vini pleno, mediante hoc alexipharmaco adimentur omnia veneni Symptomata ſimul atque ſat bene deſudaverit. Conficitur quoque pulvis epilepticus, ſi quis talis mulieris, qualis primo ſuo partu peperit marem, ſumpſerit ſecundinas exſiccatas, ita tamen ut prius ſint illæ probe expurgatæ cum ab aliis adhærentibus, tum à ligamento umbilicali.

℞. Hujus pulveriſatæ ſecundinæ ʒj. Corallorum rubrorum præparat. margarit. ana ʒj, miſce & erit pulvis, hujus doſis ſit ℈j in aqua flor. lilior. convallium vel ceraſorum aut lavendulæ.

Præterea ſi quis nativus Character ſive nævus infantem alicubi ſignaverit, illi loco ſignaturæ, ſeu notæ uterinæ confeſtim obſtetrix imponat ſecundinam adhuc calentem, atque deinceps pennula molliuſcula allinat nonnihil ſanguinis materni, qui inter pariendum una effluxit ex ipſa. Hinc ſi quis eodem remedii genere alleverit faciem infantum ſcabie leproſa laborantium, medebitur eis. Quicunque vero infantibus tres aut quatuor guttas ſanguinis ex præfecta chorda umbilicali manantis dederit abſorbendas, præcavebit, ut illi nunquam corripiantur morbo ſontico ſive comitiali.

XI. *De Spermate*

Ut quidquam conſcribatur, nulla flagitat neceſſitas, quippe quod à nemine Orthochriſtianorum, ſed à ſolis impiis diaboli mancipiis, ſine ullo prorſus uſufructu notabili ad philtra adhibetur. Cæteroquin induſium per octiduum à viro geſtatum ſi mulier, cui menſes nimio abundantius fluunt, ſibi induerit Rheuma, ſiſtetur non ita multò poſt; iſthoc tamen filiabus ad gignendam ſobolem habilibus foret tam periculoſum, ut ipſæ deinceps menſes nunquam recuperaturæ eſſent. Sæpius probavi.

XII. *De Halitu*

Hominis reſciſcas, quod homo ſanus ore ſuo jejuno horis aliquot matutinis adhalante poſſit inflammationibus vetuſtiſque vulneribus multum opis ac ſalutis ferre rubenteſque faciei labeculas depellere. Antiqui hinc addidicerant artem ſanandi vulnera per ora adhalantia, quod Arcanum

vocarunt *Artem Sancti Elmi.* Silentio tranſmitto alios, quia hac via, globos Martios accurarunt adverſus vim mortomagicam indurandi corpora, qua reddi putantur impenetrabilia.

XIII. *De ſudore*

Hominum ſanorum ægrorumque quidnam ſive boni ſive mali elaborari queat, ſatis ſuperque condocet quotidiana communis vitæ experientia, nominatim verò in morbis contagioſis, atque ſcabie extuberante. At enim ſi quis linteola in ſani hominis ſudore madefacta impoſuerit vulneribus, Balſanum ſanandi mumialem illis inferet, prout etiam de urina jam ſupra commemoratum eſt. Porro ſi mortalium emorientium ſudorem linteolo nitido exceptum tumoribus, excreſcentiis, atque varicibus alleveris, depellentur. Depellentur etiam Hœmorrhoïdes intra breve tempus, ſi eundem illis impoſueris.

XIV. *De Adipe humana*

Præter cætera jam dudum condiſcitur, quod illa multis membrorum, ſive obrigentium, ſive luxatorum affectionibus perungendo facit medicinam, potiſſimum autem denuo inducit in illa tabeſcentia vim augeſcendi, maxime ſi quando eidem addideris nonnihil axungiæ caſtorii.

XV. *De Calculo humano*

Cum primis condocetur, quod ex veſicæ calculis, arenuliſque quotidie excretis per retortam deſtillatur

ſtillatur oleum, atque ſublimatur tale flavedinis criſtallinæ ſal, quale adverſus calculum eſt inſigne antidotum, maxime ſi quis illud oleum ſpiritu juniperi forti mixtum propinaverit laborantibus. Item ſi quis conſimilem calculum cum æqualis ponderis ſalnitro ac ſulphure ſubtiliter pulveriſatum calcinaverit, atque ex eodem extraxerit mediante aceto vini bene deſtillato ſal, quod ſinas evaporare in arida, atque deinceps in cella ſuper tabula vitrea in liquorem liqueſcere, quo liquore calculus contereтur, atque expelletur, ſi ejuſdem guttas à 6 uſque ad XV. laborantibus in quadam aqua deſtillata, aut cæleſti propinaveris.

XVI. *De Corio humano*

Multum agitur in bello, variiſque luditur modis. Ex hominis ſani ſive in prælio interempti, ſive præcipue ſuſpenſi pelle aut dorſo, fortia exciduntur nonnunquam lora, quorum ſi quis unum circa corpus ſuum geſtaverit, nunquam ipſius manus ac pedes rurſus ſpaſmo cruciabuntur.

XVII. *De medulla in Oſſibus*

Breviter peroro, quod hæc ſanat labia fiſſa, dolores aurium, tumores tonſillarum fauciumque, reſtituitque in integrum exſiccata membra omnia.

CAPUT XVII.

Proponit 1. reſtaurationem corruptæ bilis. 2 lacteſcentium herbarum quarundam uſum, & quarundam nocumentum. 3. Mutationem in corpus aſſumtorum, quæ ſcitu medico pernecesſaria. 4. Uſum adſtringentium, qui rarus eſſe debet. 5. Originem ſaporum, qui omnes ex duobus tantùm proficiſci demonſtrari poſſent.

QUum admiranda Providentia Divina ſeſe nobis tam in ſuis Creaturis ad reſanandum ſanitatem ipſarum amiſſam, quam per quotidianum ſeu ordinarium Cibum ac Potum ad Vitæ ſuſtentaculum patefaciat, contemplaturi jam ſumus, quomodo hæc convenienter Arti Naturæque fieri queant, & quæcunque ego de Felle dixi, præſtari ab eodem congruenter Naturæ poſſe. Quod quum idem ſit corruptioni obnoxium atque cæteri Ventriculorum humores omnes, videlicet quum ipſum quoque ingrediatur in quandam Effervefcentiam, atque ita in ſua vi Fermentationis prima in Ventriculo Inteſtiniſque reprimatur, neceſſe eſt, ut circa ceſſationem operis Naturæ, in omnibus corporis partibus, Ars per Nitroſitatem æquivalente efficacia prædita, aut per medium reſtitutionis inſtructum proprietate alicujus vulgaris ſalis Cibarii vel Fellei humoris in illis promoveatur.

Quatenus enim conſimile ſalis Balſamum ſive *Medicina*, ex Sulphureo etiam Sale conſtat, eatenus per calefacientem ipſius indolem digeſtio in Viſce-

Viſcerum humoribus promovetur, & in quantum conſtat iſtiuſmodi ex Mercuriali quodam Sale, in tantum etiam per humectantem ejuſdem proprietatem in Ventriculorum Humoribus Liquor ſeu *Fermentatio* promovetur. Quatenus enim hæc Nitroſitas tanquam tertius Liquor duarum proprietatum in uno, non niſi idem, quod Fel, efficit, puta quod illud Ciborum perceptorum tenacitatem, eorumque coagulatornm lentorem fermentando attenuat, diſſipat, atque per ſuam virtutem fermentantem deinceps ſubtile à tenui, nutrienſque à crudo ſecernit; eatenus ego ad inſerviendum humano Generi conſimilia in Vegetabilibus demonſtrabo, veluti patefiet ex ſequentibus.

Quod quum ex opulenta Naturæ abundantia non tantum in multis plantis inveniatur conſimilis Fellea compoſitio, ſive Amara Nitroſitas, ſed adhuc utile neceſſariumque diſcrimen, ejuſdem ſive magis ſiue minus prædominantis ſulphuris Amarities, aut ejuſdem, ſive magis, ſive minus prædominantis ſalis juxta humiditatem Mercurii ad Acorem comperiatur, ex cujus inæqualitatis proportione unius in alterum, quoque differentia ambarum illarum Mixturarum in tertiam emergit, utpote in cujus Nitroſitate datur Amaritudo ſive Aciditas, atque earundem quoque Fermentum vel fortius vel infirmius eſt.

Si igitur in humani Corporis partibus ejuſmodi morbus, ex Felle inveniatur, potius in ſulphurea illarum Amaritie, quam in ſalina Aciditate conſiſteret, tunc in defectu ſecundum indolem ſuperioris inferioriſque Corporis partium requirentium craſſiorem ſubtilioremve Amaritiem obſiſtendum eſt illarum Amaritudini, per conſimilem Plantam

concomitantes in qua præfiguratur Fel, ſive memorata Nitroſitas ita eſt temperata, ut ſulphurea Amaritudo, ſive ea ſe prodiderit in Sulphureo Odore, ſive in Salino Sapore, adhuc in Mercurialem Aciditatem ſive ſaporem prædominetur, nempe

In radice Angelicæ, Ariſtolochiæ rotundæ & cavæ, Brioniæ, Cardui Mariæ, Contrajervæ, rad. Coſti veri, Gentianæ, Ireos noſtratis, Niſi, Pentaphylli, Polypodii, Rhapontici, Squillæ, Tarraconis, Zedoariæ.

In Cortice Arantiarum, Citri, Cucumeris, Cucurbitæ, Ligni Maſtichini, Ligni Saſſafras, Nucis internæ Juglandis pelliculæ, Ligni Chinæ, Chinæ de China, Ligni Colubrini, Sancti ſemen, Sambuci arboris, Sumach ſemen.

In floribus Arantiarum, Citri, Calendulæ, Cheiri, Cochleariæ, Centauri minoris, Cardui benedicti, Chelidonii minoris, Fumariæ, Gratiolæ, Lilii Convallium, menthæ Cardiacæ, menthæ criſpæ, Mercurialis, Naſturtii aquat. Naſturtii hortenſis, Rutæ, Roris marini, herb. Abrotani, abietis, Aſteris Attici, Acori, Agrimoniæ, Ariſtolochiæ longæ, botrydis, Calami aromatici, Calami veri, Cichorii, Condrillæ, Cruciatæ, Cuſcutæ, Galegæ, Gratiolæ, Geniſtæ, Hellebori nigri, Hyſſopi, Lupini, Lupuli, Marrubii, matricariæ, Menthæ, Naſturtii, Nicotianæ, Perſici fol. & flor. Portulacæ, Saracenæ, Schœnantes, Scolopendriæ, Scordii, Saponariæ, Tanaceti, Umbilici Veneris, Gumm. Myrrhæ, Aloës epat. Succotrinæ, Epithymi.

Quæ & conſimilia Nitroſa Medicamenta complura, in quibus prædominatur Sulphurea Amarities in Salinam Aciditatem, in ejus Mercuriali Humiditate, ſi quis contra febres acutas procul ullo damno periculoſo in Corpus aſſumere velit, ubi Sulphurea Fellis Amaritudo præter modum in ſalinam ipſius Nitro-

troſitatem prædominatur, ob defectum Lymphæ ſubacidæ, utpote, quæ ipſa Amaritudo taliter duplicaretur cum damno, neceſſario præmittenda erit earum Correctura, idque per alicujus Acidi ſalini additamentum Mercuriali liquori immixtum, qualia ſunt

Succus Arantiarum, Acetoſæ Hiſpanicæ, Acetoſæ vulgaris, Acetoſæ rotundi folii, Acetoſæ Sylveſtris, Acetoſellæ, Berberorum, Citri Granatorum, ribeſiorum, Fructuum Tamarind. Tartarus Vini, Vini Agreſt. & Vinum Rhenanum, aut Acetum Sulphuris, Salis, Vitrioli vel Nitri.

Quum omnium illorum proprietas in alicujus Nitri bene præparati modum addita ſit æque correctura eorundem Amara, atque in Inteſtinis ſuccus Pancreaticus ordinarius in illam per fermentum transmutatur, atque ita ex unione juxta requiſitum à corporis conſtitutione generatur artificialis Nitroſitas, vere Amara ad promovendum *digeſtionem*, fermentationem, & puri ab impuro ſeparationem, aut quicquid alias congrua naturæ ſalſedo ſive Nitroſitas ſuggerit. Hoc autem totum dependet ab acuto judicio experientiſſimi Medici callentis artificioſe miſcere miſcenda, atque adhibere adhibenda. Enimvero exploratæ veritatis eſt, nunquam in Medicina talem dari uſum vegetabilium quorundam univerſalem, qualis eſt panis edendus eſurienti contra eſuritionem, & vinum bibendum ſitienti adverſus ſitim, tametſi de illis in pleriſque effrontibus Herbariis prodigioſa effutiuntur Mendacia.

Interea loci nunquam ibimus inficias, dari etiamnum multa alia naturæ grata Sulphura Amara, his aſſimilia pariter atque in contrarium adhuc multa plura Amara ſulphura prædominantia in Aciditatem Salinam corrigentem in plantis aliis: quoniam vero

vero propter nimium craſſi, Volatilis ignitique Salis Sulphurei Calorem tantæ proprietates corroſivæ ſine forti aliqua correctione per Acida figi, præcipitari aut præparari nequeant, uſqueadeo ut tuto ſine ulla ſanitatis humanæ jactura in corpus aſſumi poſſint, potius præſtat, ut iſthæc, atque conſimilia Sulphura craſſa, multo ſecurius ad exteriores Corporis partes applicentur, quum iſtiuſmodi ex ipſorum Acido corrodente Sale eoque progignente nimis fortem eorum vim attrahentem, omnium illorum calorem inflammationemque, nec non membrorum omnium dolorem, non tantum ope ſulphuris ſui amari colligunt fortiterque dulcorant, ſed per effervеſcentiam novi fermenti, humoris præcipitati, ita ulterius etiam tanquam Magnes ferrum attrahendo ac Fermentando funditus per poros cutis eliciunt, fixumque in volatile, Acetumque ſive Acre in Mite mutant, etiamſi quis inde forinſecus nihil poſſit conſpicere, ſed intolerabilem duntaxat dolorem corrodentem ſentire. Hæ itaque omnes conſimileſque ſunt Amaræ Plantæ Sulphureæ, quæ præterea *acrem*, ſive inſigniter Ardentem Saporem acquirunt. Unde Collum ac Lingua inflammatur, Papulæ extuberantes ſpectantur, glandulæ tumore afficiuntur, omniaque Corporis Viſcera ex conſequenti etiam ſiti inextinguibili anguntur, tantummodo per ſui corroſivi, atque ſæpe non modo ſecum vehentis acris ſive Acerbi ſalis, excoriantem proprietatem, ſed ſæpe potius propter glandularum ſalinam ſubacidam Lympham Mercurialem, quæ vi mixturæ, prout dicitur de Caſeo,

Caſeus eſt nequam, qui digerit, omnia ſe quàm, ſimul effervеſcit atque corroſiva evadit: ex quibus aliquot ſequuntur,

Allium, Cron Aſphodelus, Cocognidium, Colocyn-

locynthis, Chelidonium majus & minus, Carthamus, Conſiligo, Cynocrambe, Colchicum, Eſula, Euphorbium, Erica aquatica, Helleborus albus & niger, Helleborina, Hyoſcyamus foliis oblongis, & foliis rotundis, Hypericonis ſemen, Herba ſanctæ Barbaræ, Laurus roſea, Mandragora, Melanchthon, Napellus, Nicotiana, Naſturtium Indicum, Nux vomica, Paris, Pes Anſerinus, Pes Columbinus, Poma Amoris, Peucedanum, Perſicaria ſine maculis, Piperitis herba, Piper Hiſpanicum, piperitis rad., baccæ rubræ, pyrethrum Romanum, Pyrethrum vulgare, ranunculus aquaticus, Ranunculus Urens-plenus-flavus Martii-albus Martii, Ricinus, Raphanns Sylveſtris, Roſſolis, ſempervivum minimum urens, ſinapi, Squilla, Urtica Romana, Urtica vulgaris, Spatula fœtida, Solanum ſomniferum, Stramoniæ, Scrophularia major, Soldanella, Verrucaria, Ventiherba, Verbena fœmina, Taxus, Tages Indica.

Etenim tales conſimileſque corroſivæ & non niſi pernicioſe in corpus aſſumendæ plantæ, ſunt etiamnum multo plures & fere omnes (perpaucis duntaxat exceptis) illæ, ex quorum caulibus foliiſque exprimas lac albidum, ut,

Bardana Hiſpanica, Braſſica Leporina, Cataputia, Caprificus, Chelidonium majus, Cyclaminus, Carduus lacteus, Cypariſſus, Euphorbium, Eſula major, Eſula rotunda-arboreſcens dulcis, Eſula maris, ficus arbor. Helioſcopios, Moly, Mirſinites, Narciſſus, Ocymum aquaticum, papaver, Peplium, Plityphyllum, Smirnium Amantis montis, Spina purgatoria, Sycomorus Sylveſtris, Thapſus, tithymallus major, Tragopogon, Tithymallus, Characios Volubilis major, Verrucaria.

Hæc omnia conſimiliaque Plantarum genera (quorum pauca excipias, veluti præmonuimus:) Medi-

Medicamentis ac Cibis (quamvis illis Lac inſit, atque prædictis albidum) ſunt utiliſſima & præſentaneum adverſus venenoſam corrodentis Salis Aciditatem Antidotum. Tametſi autem & hæc Sulphuream Amaritiem in Mercuriali Humiditate mixtam ſecum vehunt; ſubtiliſſimum tamen eorum Sal Sulphureum eſt non tantum puriſſimum gratiſſimumque, ſed in illis etiam prædominatur grata iſtius Mercurialis Salis dulcedo fixa tanquam balſamica humectans, earumque Acrimoniam frangens attenuanſque proprietas, eſtque rerum Nitroſitas prædicta gratis viribus ſeſe in Fel induentibus, V. g.

In *rad. acus, Moſchatæ*, Scorzoneræ, rad. Taraxici, Doronici, Tragopogon, Braſſica, Cichorea, Chondrilla, Endivia, Paſtinaca, Petroſelini, Saponariæ herba.

Nam per hujus Nitroſitatis prædominans dulce ſal Mercuriale incidunt, reſolvunt, quia fermentant illa, non tantum poſt ſuam mutationem in *ſubacidum*, ſimiliter ſucco Pancreatico in inteſtinis, aut Salivæ Oris in Stomacho; Ita etiam omnia tenacia, aſpera ac indigeſtibilia Phlegmata, ſed tamen per naturalem ordinariam felleam Amaritiem juvant, iſtiuſmodi etiam Excrementa, per ordinaria & appropriata Emunctoria *fermentando* expellere Quin etiam talia opitulantur in omnibus Vulneribus ſive Accidentibus ex proprietate facile coagulante, naturæ rerum Mercurialium Lymphaticarumque expellere ſanitatemque potenter promovere.

Pariter hæc etiam una poſſident conſimilem vegetatricis operationis Virtutem, qualis proinde refert *ſuavem* Amaritiem, ſive ſubdulcem Amarorem, attamen omni carent hæc lacte, mali, gaudebant prædicta, generatimque illa fere in fructibus dulcibus reperitur omnibus, videlicet *Pyris*, *Pomis*, Prunis,

Uvis

Uvis Vinearum majuſculis minuſculiſque, atque Uvis Paſſis, juxta ac in ſemine Aniſi, in Dulc-Amar. Aquilegiæ, flor. Malis Armeniacis, ſeu Apricoſis, nucibus, Caſſia, Cynoſbati fruct. Canna *Sacchar:* Caſtanea, Caſtaneæ nucibus, Citrulli, Cucurbitæ, Cucumer. Ceraſorum nucleis, Betæ rubræ, Fiſtula, Caſſia, rad. Doronicæ, Feniculi ſemine, Graminis rad. Polypodio, rad. Paſtinacæ, rad. Phaſeolis, Petroſelini, rad. Rapæ, Citrin. Rapæ albæ, longæ & rotundæ, rad. ſiliquis, Xylocarracta, Pini, Nucibus, rad. Acus, Moſchat. typhæ rad. Violarum flor. & ſucculæ, ſemine Papaveris, Perſicorum nucleis.

Hæc conſimiliaque complura ſunt univerſa, quemadmodum prædiximus inſigniter conducibilia, ob dulcedinem Mercurialis Salis prædominantem in Sulphureum Amarorem, ſalinumque Acorem, qui ſapores tamen in enumeratorum uno magis animadvertuntur quam in alteris, prout & inſuper animadvertas ex his obſervandorum inſequentium pauculis, in quibus quidem etiam Amarulenta Dulcedo reperiritur, Sulphuris tamen ſaliſque perparum, atque ex illius Sulphureo ejuſdemque ſalino incidente defectu, eſt eorum prædominans Sal Mercuriale, in ſuæ dulcedinis liquore nondum ſat fermentatum maturatumque, poteruntque talia juxta judicium prædominantis Mercurialis humidi ſaporis meritiſſimo Jure appellari, aquoſæ, aut planè inſipidæ Herbæ, quarum nonnullas ego hic annotabo, videlicet

Herba Artiſcocæ, Aſparagi; Anagallis aquatica major & minor Herbæ betæ varia ſpecies, Bliti variæ ſpecies, Betæ rubræ rad. Bellidis flores, Burſa Paſtoris, Borrago, Bugloſſæ, Cardui Mariæ, Centinodia *M.* & *F.* Cynogloſſæ, Stellariæ, Craſſula major, Cucurbita, Cucumeris herb. minor, Melónum herb., Cichorei herba, Condrillæ 1 & 2 Echionis, En-

Endiviæ, Epaticæ flor. Euphraſiæ, fabarum flores, Fragariæ, Fragorum, Frambuſæ, Hippogloſſi, Jacobeæ flos, lactuca leporina, Plantago magna, Plantago acuta, Plantago roſata, Parietariæ, Peponum, Piſorum flor. Prunella, Portulaca, Portularum Sylva, Paſtinacæ rad. Pimpinellæ herba, rad. ſalſaparillæ, Roſeæ radic. Rubi, raparum rad. Sempervivum majus, ſenecio, Tragopogon, Trifolium hortenſe, Taraxacon majus, minuſve, Viſcum, Vitis flos, Viciarum flos. &c. ne plures adſcribam.

Atque hæc inſigniter Medicinam faciunt gravibus craſſéque ſalinis ac Sulphureis morbis acutis accidentibuſque ad humectandum Viſcera, ab æſtibus exſiccata, & per conſequens ad extinguendum ardorem per viam immiſcendi indolem hujus Mercurialis liquoris, præcipuè verò ad præſtandum vicem Vehiculorum inter adminiſtrandum alia *Amara* dulciaque medicamenta, ſi quando morbo alicui, nimiæ ex effervescentia humorum, ebullitiones aſſociarentur, idque univerſum ſecundum prudentiam Medici Rationalis diſcretivam. Enimvero in hoc Medicorum plurimi fruſtrantur ſe ipſos ſatis ſuperque, dum non intelligunt, qualiter in hominis Stomacho Inteſtiniſque ſuperfluus harum rerum nominatarum uſus aut etiam percepta Eſcarum genera nimio dulciora aut pinguiora, per Fermenti proprietatem rite invertantur, partim in quandam perquam fortem bilioſam ſive Nitroſam Amaritudinem, partim aliorum in ingentem Aluminoſam ſeu Vitriolatam Aciditatem, prout nos quamplurimum ex ructibus in Oris noſtri Sapore, vel Fœtore, vel Odore ſentire poſſimus. Tum nempe animadvertimus, quod potanti muſtum dulce atque ſat Cereviſiæ dulcis continuo mutatur in Fel Ama-

Amarum. Quinetiam ſi nos manducamus duntaxat panem calentem Cereviſiamque inveteratam, Vinumque generoſum compotamus, confeſtim in Acetum degenerat; quippe quæ omnia & id genus alia commemorabilia ſunt cuivis Medico vigilanti in curandis ægris probe obſervanda, prout ego alio etiam loco commonefacturus ſum. Ego auſim aſſeverare, quod vel circa ipſa remedia dulcia adminiſtranda puta de *Manna*, Caſſia, Melle, Saccharo, Aniſo, Fœniculo, Glycyrrhiza, Doronici rad. Xylocaracta, jujubis, ficubus, paſſulis majoribus, Amarellis, ſeu Ceraſis, Apricoſis, Prunis Hiſpanicis, in Morbis durioribus ſit cautiſſima applicandi methodo procedendum: nominatim autem apud homines ætatis integræ vegetos, quorum Fermentum in Effervefcentiam conſedit, atque inde talis ſubjectorum dulcedo per Fermentationem ex acceſſione Maligni Sulphuris, Salis aut Mercurii fœtidi, ſive putridi in perniticiſſimum Vitriolatum Aluminoſumque Acorem, aut in noxium quendam Acerbum ſeu Acrem Humorem immutaretur, atque tandem inde progignerentur fuſcæ, atræ, albidæque Aphthæ vel Angina, vel etiam utrumque Eryſipelatis genus conſimiliaque contagia, veluti contagia, veluti contingit tempore peſtilentiæ, atque ſi Cerebri Membranulam contactu ſuo læderent, inde provenirent febres malignæ phreneſeſque. In neminis autem niſi in ſolorum illorum minus curioſorum Medicorum gratiam ego potiſſimum ediſſero, qui in iſtius periculi pinnaculo ſuis clientibus ægris ope dulcium ſuarum conſervarum, ſyruporum, tabellarum, Morſellorum, Apozematum, lactis amygdalini, laxativorum ex manna & Caſſia citra rationem doctam intempeſtive adhibitorum ac ſine neceſſario requirente conſtitutione humoris cor-

 rupti

rupti atque in Acidum Fixum mutati non tam ſæpe profunt quam obſunt, dum præ imperitia illis loco præſentanei remedii præſcribunt immane *Venenum*, prout experientia flebilis ſæpe atteſtatur, monſtrans tales Medicaſtros ad Clientum ſuorum moribundorum Cubile ſtantes ac ſi capti mente eſſent, dum illi ſanitatem non recuperant, ſed vitam cum morte commutant, idque ob procreata Symptomata ab eorum inſcitia.

Enimvero hoc eſt omnium Mercurialium Salium Dulcium proprium, quod ipſa Sulphureo Sale corruptioni reſiſtente vel in colore exiguo continuo in acorem abeant, atque in Acetum mutentur ſimiliter Vino, ex quo evaporavit ſpiritus Sulphureus.

Hinc plurimam partem ægris plurimoque tempore eſt tanquam à Veneno cavendum atque abſtinendum ab Emulſionibus, præparatis vel ex Amygdalis, Avellanarum Nucibus, Caſtaneis, Citrullis, Cucumeribus, Cucurbitæ ſemine, juglandibus majoribus, Manna, Melonum, Milii, Papaveris albi ſemine, Piſtaceis, Pineis, conſimilibuſque pluribus.

Inde enim quod ipſa in Stomacho aceſcunt, progenerantur omnigenæ Efferveſcentiæ genitricis Flatuum noxiorum, præcipitationeſque Fermenti Viſcerum Corporis omnium, atque obſtructiva orificiorum Emunctoriorumque omnium cauſa. Hinc optime cecinit Poëta Macer:

Ex minimis nucibus nulli datur Eſca ſalubris.

Enimvero ipſa Fellis ſulphurea Amarities, ac Salina Aciditas eſt in Mercurialem illarum rerum dulcedinem Salinam ingreſſa ſive mutata, atque ita jam Sulphurea Amarities, ac Salina Succi Pancreatici Aciditas ſuam incidentem, digerentem, Fermentique

mentique promoventem Naturam dereliquerunt, & quum hoc Sulphur ſimile Sulphuri lactis ex aceto præcipitato, ipſum quoque Sulphur jam eſt fixatum, atque in hanc Aciditatem ingreſſum, ita ipſa quoque juxta requiſitam Mercurialem proprietatem Salinam, habet ſuam liquefacientem, humectantem refrigerantemque omnium Efferveſcentium rerum Naturam, atque eſt ex earum combinatione, loco amaræ Fermentantis Nitroſitatis in operationem contrariam plane ingreſſa, atque in ſummo gradu evaſit adſtringens, non quidem ſaltem tanquam Acetum Vini, ſed in aluminoſa Aciditate, prout etiam comperias in Succo Acatiæ vero, Acatiæ Silveſtris, in Alkekengii fructu, Cydoniorum ſucco, Cynosbati fructu, Fraxini cortice, Granatorum, Quercus, Ligni Sancti corticibus, in Meſpilis, Malis, Pyris, Prunis, & Uvis immaturis & Sylveſtribus, in ſucco Cornu, Foliorum Olivarum, Oleaſtri, Granorum tinctorum, in radice Serpentariæ, Tormentillæ, rubiæ Tinctorum, Gallis Turcicis, & vulgaribus

Unde Os adſtringitur, Dentes ſtupeſcunt, fauces irrauceſcunt, Pulmonis fiſtulæ reſpiratione orbantur, atque in Stomacho, Inteſtinis, Glanduliſque Efferveſcentes oriuntur obſtructiones, unde Glandulæ Oris, Gutturis, ac Gulæ inflammantur, Tumore ac Terrore afficiuntur, atque Lingua puſtulis, prout accidit in alba ac atra Angina, quippe quoniam ipſorum Lympha Mercurialis eſt vitiata ſeu infecta, unde & in ipſis Glandulis multa gravia inſanabilia canceroſa Vulnera, vitia ſeu accidentia oriuntur, idque univerſum juxta gradum vel majorem vel minorem mixtionis in arſenicalem Vitriolatam ſive Aluminoſam Aciditatem ſalinam qualia libentius duriuſculas Glandulas, quam molliuſculam Carnem & multo

potiſſimum Cartilagines aggrediuntur, excoriant, Oſſiumque Cariem generant, prout in principio hujus operis eſt ſat effuſe demonſtratum. Quapropter adſtringentia illa ſupra jam indicata non ſine cautiſſima prudentia ſeu diſcretione uſui Corporis interno ſunt adminiſtranda, niſi forſitan in nonnullis Dyſenteriis, ſive Alvi profluviis, aut in Gonorrhœa, ſive profluvio Seminis, vel Menſtruorum immodicorum, in externis putentibus Vulneribus annoſis, Symptomatibuſque inveteratis, inconſulte tamen Viris Fœminiſque conjugatis, quia in eis Sperma exſiccant, ac putrefaciunt. Cum pari quoque ratione nuſquam dexterius in uſum Medicum adhiberi poſſunt Emulſiones facile aceſcentes ex Amygdalis, Semine Papaveris, Melonumque, &c.

Nihilominus tamen nocent talia adſtringentia, facileque aceſcentes Emulſiones, Phthiſicis, Aſthmaticis, Atrophiaque laborantibus, aut ubi gliſcunt Ulcera, internorumque Viſcerum Excoriationes. Quia omnia acida nocent Pulmonibus & Viſceribus, & partibus Membranoſis totius Corporis, niſi quis per correctorium aliquod perfectum, in ipſorum incremento illis procuraret impedimentum, quale in Salibus volatilibus & fixis Urinoſis, ſive Sulphuribus ſolis reperias. Ad anticipandum autem iſthæc nihil tutius adhibebitur, quam ejus correctio in Corpore.

Atque ita ego hanc verboſam formare ac conſummare parentheſin per viam digreſſionis, neceſſarium duxi, utpote, qui de Felle, ſive grato Nitroſo liquore Corporis humani, ſeu Fermento nonnihil tractare conſtitueram.

Quin etiam niſi extenſionem, ſeu amplificationem libri nimiam præformidaſſem, ego attendiſſem æmulus arti pictoriæ, quippe quæ in quorumvis Oculorum conſpectu originem plurimorum Colorum cæte-

cæterorum ex ſolo albo & nigro demonſtrat, commonſtrare etiam Ortum plurimorum Saporum omnigenorum, ex his ambobus Saporibus, nempe dulci Acidoque Sale, & fontem plurimorum *Odorum* bonorum, malorumque fœtorum omnium ex duobus, videlicet grato Odore, ac ingrato fœtore Sulphureo, & Scaturiginem plurimarum ſenſibilitatum univerſarum ex duobus, puta ex Scaturigine ac dolore, atque Caput plurimarum ſubſtantiarum omnigenarum ex duabus rebus, nimirum ex liquidis, ac duris &c.

CAPUT XVIII.

Diſſeritur 1. de mutatione (fermentando quam ſubit) amari Sulphuris bilioſi, ac uſu. 2. de nocumento, quod ex ejus præcipitatione exſurgit. 3. de convenientia partium corporis noſtri cum odoribus aut fœtoribus, qua unaquæque gaudere deſiderat. 5. de uſu præcipitationis ſulphureorum per acida univerſalia. 6. Notatur ignorantia Medicorum, interne uſurpanda, externe; & externe uſurpanda, interne applicantium. 7. Demonſtratur futilitas in aſſignandis vegetabilium qualitatibus ac gradibus commiſſa. 8. Statuitur in vegetabilibus aliam vim reperiri in caule, aliam in fructu, aliam in ſemine, &c. id quod probatur exemplo. 9. Aſſeritur ex natura loci judicari poſſe de natura plantarum, & 10. Veterum obſervationes aniles merito à recentioribus medicis rejici.

DE prædicta parte Sulphurea Fellis per ſuum Fermentum in Veſicula Fellis iterum effuſi

in Inteſtinorum cavitatem juxta Succum Pancreaticum ibidem ad promovendum Ciborum Fermentum, certò conſtat, quod eorum cum parte Chyli ſubtiliſſima confermentatum Sulphur Amarum progignat multum ſalutiferi. Exploratæ namque certitudinis eſt, quod quælibet Corporis pars concupiſcit à tali ſolo nutriri, quale per Odorem, aut Saporem eſt ipſius Naturæ gratiſſimum aut proxime conjunctum, diciturque hoc fieri Sympathetice ſive Magnetice, quando per Fermentum Sulphur Amarum Fellis immutatum in dulcem Mercurialem liquorem Salinum, atque per ſui Amari Anodyni, Sulphurei Odoris Virtutem dulciter in Cerebro, etiam omnia recreantem omniumque quieſcendi aridorum Membrorum dulcem ſomni quietem fermentando conciliat ſeu parat. Quod quum paulò ante commemoratum ſit, quod ſubtiliſſima pars Nitroſa ab Amara Sulphurea, Mercuriali Dulcedine Salina, per ſuam vim Anodynam in Sanguinem Arterialem effundatur & per ſubtilem amare dulcem Odorem, quies ſomni ſola promoveatur, quamprimum vero in gravibus morbis, Doloribus, Cruciatibuſque efficax hujus Anodyni Sulphurei Odoris operatio per præcipitationem Fœtoris Acidi frangitur, inde provenit Effervescentia Lymphæ, Sanguiniſque quæ progenerat multos Capitis dolores, cruciatumque omnium totius Corporis Membrorum, compluresque alias inquietationes graviaque ſomnia phantaſtica. Quapropter Deus Opt. Max. (cui gratias pro ſuo paterno favore canemus immortales) adverſus talia mala in natura procuravit peculiaria levamina, ſeu remedia corrigentia, quibus ille Amare dulcis, Anodynus Odor ſulphureus confortetur, prout de mediis auxiliaribus in præteritis eſt commonſtratum. Expeditiſſima autem ad demon-

monſtrandum res eſt, quod per illum ſubtilem amare dulciculi Sulphurei Anodynique Odoris effectum in Cerebro requies dormientium promoveatur, quippe quoniam vel ipſa fex vulgi gregaria cognitum habet, quidnam Amare dulcis ſuaviſque Odor adverſus fœtorem, amare putreſcentem polleat, quandoquidem illæ ſolæ res, quæ volatile fragrans, aut fœtens ſal Sulphureum in ſe poſſident, plurimum de ſe vel per nudum Odorem exſerunt Vim ſenſibilem per Organicas partes Membranoſas Cerebri, Pulmonis, Jecinoris, Splenis, Renum, atque Matricis.

Quum igitur ſola illarum Membranarum Odorumque bonorum Sympathia in his conſiſtat, conſiſtit quoque in his conſimiliter ipſorum Antipathia idque univerſum ſecundum requiſitum Odoris partium propriæ Signaturæ plantæ, in quo ſe talis in gradu multo altiore ac fortiore exprimit, quam ejus remedia. Quæ niſi ſeſe ita haberent, quali, quæſo, ratione foret poſſibile, ut quis hominem male valentem, langueſcentem, Lypothymiaſque patientem, fragrante ſuavique *Odore*, ſcilicet

Arantiarum Corticis, & florum, Abrotani Herbæ, Baccharis Radicis, Benſoini Gummi, Citri Corticis & florum, Cinamomi Corticis, Charyophyllorum, Caryophyllatæ radicis, Geiri florum, Croci Orientalis, Cypri radicum, Hyacinthi florum, Ireos Florentini Radicis, Jaſmini florum, Lavendulæ, Liliorum convallium, Ligni Rhodii, majoranæ, meliſſæ, Meliſatæ Citrini, Myrthi folii, Narciſſi florum, Nigellæ ſeminis, Nigellaſtri ſeminis, Nucis Moſchatæ, Pulegii florum, Origani florum, Roriſmarini florum, Serpilli, Seringii florum, Santali ligni, Storacis Gummi, Trifolii odorati, thymi, Vetonicæ, Violarum, Vitis florum, conſimilibuſque aliis pluribus

ribus tantillo temporis puncto, ſeu oculi ictu recrearet & vice verſa in ſuffocatione Uterina per graveolentia tantum reſtitueret, quantum corruperunt, ac nocuerunt Odores, Saporeſque grati ac ſuaves. Præterea nos cernimus oculis & animo, quemadmodum per craſſum Sulphureum externe applicatum Odorem, ſcilicet ex *Camphora, Cicuta, Cynogloſſa*, Croco, Hyoſcyamo, Mandragora, Nicotiana, Opio, Paradiſi granis, Solano ſomnifero, Staphiſagria, homini inſomni ſomnus conciliari omniaque externa corporis membra refocillari poſſint. Quodcunque enim forti Odore ſuavi, ut prædiximus, eſt præditum, illud in ſe poſſidet ſulphur valde graduatum. Quamvis enim iſtud ope ſalis in ſubtilem liquorem Mercurialem fermentetur & à ſuo corpore diſſolvatur calidumque ſe prodat, nihilominus tamen quoque Calor iſte ex hoc motu eſt organicarum partium Balſamum, quo ſpiritus vitales ſuum motum, *digeſtionis*, *Maturationis*, ſeparationiſque fermentativum patefaciunt: quippe quoniam ita corrigunt omnem ipſorum Mercurialem frigefacientem liquorem Lymphaticum, diſpertiunturque ſic partes ipſorum mucilaginoſas, ut ipſæ inde liquidę & ad egrediendum aptæ reddantur. Deinceps eadem etiam promovent Calorem nativum, unde ſpiritus vitales recreantur. Tunc namque incipit recuperare ſuum Naſus deperditum olfactum frigefactumque Cerebrum Calorem ſuum priſtinum, ſenſitivamque Odoris Vim, languefactumque Cor amiſſam ſuam refectionem priorem ac confortationem, atque Pulmo proſtratus denuo incipit fungi ſuo officio reſpirandi; econtra nos Oculis quoque cernimus noſtris, quemadmodum Saturninus fœtor ſubjecti alicujus rudi volatilique ſale ſulphureo imprægnati intra temporis punctum tam ſubitaneum Antipathetice agat, cum memoratis Viſceribus membranoſis,

noſis, ut Homo præ Virtigine præcipitatus procumbat humi patiendo Lypothymiam.

E diverſo quoque noſtros incurrit in Oculos, quod unus idemque Odor, qui cum parte una agit Sympathetice, cum altera agat Antipathetice, & quod ille, qui cum una parte agit Antipathetice, cum altera agat Sympathetice, idque univerſum ex prædicto ſulphurei ſalis motu Viſcerum membranoſorum. Quemadmodum enim Jaſmini Jucundus Odor Jovialis cum Cerebro agit Sympathetice; ita idem adverſus Matricem agit Antipathetice. Sicut autem fœtens Odor Caſtorii Saturninus adverſus Matricem agit Sympathetice, ita idem ſeſe adverſus Cerebrum Antipathetice habet, & complura alia. Atqui generalis eſt hic Odor, ſi quando per occaſionem adhibetur Acetum ad opitulandum laborantibus lypothymia, vel matricis ſuffocatione; quippe quum omnia Acida ſint ſulphurum præcipitantia, idem utriſque eſt ſalutari levamento. Enimvero Acidum ſulphura præcipitat omnia ſuaviter graviterque olentia, atque provenientia ſive ex Fermento, ſive ex Efferveſcentia, prout in præparatione lactis ſulphuris, Antimonii ſulphuris Aurati, & id genus aliorum videre eſt, & ex demonſtratis ſuperius conſtat. Interea loci nos liquidò confirmare poſſumus, quod Cerebro atque Cordi, nihil gratum eſt niſi ſolum jucundum acceptumque Acidum Aceti Roſarum aut Lavendulæ. E contrario autem Medicinam facit Inteſtinis, Matriciſque vitiis nihil ſe præſtat gratius ſalutariuſque, quam Acetum fœtens per Retortam ex Tartaro, ligno guajaco aut Gummatibus deſtillatum.

Certe immanis cæcitatis reos quis non injuria arguat tales Medicos, quales in ſuo conſpicuo promoti Doctoris Bardocucullo nondum fuerunt unquam cupidi condiſcendi, ſeu comprehendendi *ſignaturam rerum*

præfiguratam, atque indolem virtutemque boni malive Odoris, Saporis, Auditus, Viſus & tactus. Quid? quod tales taliter inſtructi ac tranquillati ob ignorantiam traducendi utiliter interius ad exterius, exteriuſque ad interius de Artibus ſuis incertis nonniſi cum periculo vitæ ſuorum Clientum male habentium Tyrocinium ponere, Experimentumque capere triſte neceſſe habent, quia ex *libro Naturæ* neſciunt legere illarum rerum proprietates, multo minus comprehendere, memoratorum *Odorum* Saporumque ex ſulphure aut ſale mirificas operandi Vias ac media, neu qualiter per hujus Sympathetice agentis fermentantiſque Odoris, Efferveſcentiſque ſaporis impetum ſit hujus præfigurati Membri, ſive internorum Viſcerum Balſamum vitale ſive Calor Nativus confortandus. Tales Medicaſtri ſunt ſola illa honoris umbra ſat contenti, ſi quando ſaltem inter tales Doctores Bullatos ac *vagabundos* Circulatores coronatos annumerantur, quales nil niſi ægrotantium Idiotarum pecuniam aucupantur, ſanitatemque ſuffurantur, nihil propemodum ſcientes niſi fallacias ac mendaci ore confabulari, quaſdam plantas eſſe vel calidas vel frigidas vel humidas, ſive in primo ſive in ſecundo, aut tertio gradu, cum tamen tales de efficacia Vegetabilium diverſi gradus unum idemque promulgent judicium deblaterando ſic; hoc, quod in ſuo primo gradu eſt calidum, purgat, illud quod in ſuo primo gradu eſt calidum obſtruit. Ex. gr. de iſthoc Phantaſmatum genere poſſemus ordine diſponere longo.

1. Herbarum aliæ ſunt calidæ ac ſiccæ in primo gradu, puta Herba Mercurialis purgat, Flos ſechænantes obſtruit, Morſus Diaboli ſanat ulcera pectoris.

2. Aliæ

2. Aliæ ſunt calidæ atque ſiccæ in ſecundo gradu, nempe lignum paradiſi promovet menſes. Nux Myriſtica ſiſtit profluvium ventris. Rabarbarum purgat bilem. *Zodoariæ* radix corroborat ventriculum.

3. Aliæ ſunt calidæ ac ſiccæ in tertio gradu ut radix Aronis emaciat, ſemen aniſi auget lac, Nummularia ſanat profluvium ventris. Petroſelinum expellit fœtum, Tormentilla ſiſtit menſes.

4. Aliæ ſunt calidæ ac ſiccæ in quarto gradu, ut piper nigrum pollet vi reſolvendi ac depellendi febres, Ros ſolis ſuſcitat puſtulas, & in Corpus aſſumptus eſt exitiabilis.

5. Aliæ ſunt frigidæ ac humidæ in primo Gradu, ut Braſſica elicit Aloos, far ſive Spelta eſt concoctu digeſtuque difficillima, Tuſſilago medetur vitiis Pulmonis.

6. Aliæ ſunt frigidæ & humidæ in ſecundo gradu, ut Lilium Convallium evocat menſes, Pulmonaria medetur Tuſſi.

7. Aliæ ſunt frigidæ ſiccæque in primo gradu, ut Acetoſella refrigerat & confortat Cor, Capillus Veneris expellit Calculos Veſicis Lumbiſque, Fabæ ſtomachum reddunt inhabilem ad coquendum.

8. Aliæ ſunt frigidæ in primo, ac humidæ in ſecundo gradu, ut Atriplex expellit Calores, Viola concitat menſes.

9. Aliæ ſunt calidæ in ſecundo humidæque in primo gradu.

NB. Contradictiones in una eademque herba.

1. Napus proritat Hominem ad Veneream Libidinem per vim Calefaciendi.

2. Reſtinguit calidum ac ſiccum ſanguinem,

3. Sunt ſalutares;

4. Ventrem inflant inſalubreſque ſunt.

11. Aliæ

11. Aliæ ſunt calidæ ac ſiccæ in ſecundo gradu, ut Colchicum nullatenus in corpus aſſumendum eſt, ſed valet pro remedio adverſus pediculos, Eupatorium adulterinum movet menſes, Fœniculum auget lac, Lupulus medetur Hydropi, Oſtritium facit ad coitum, Pimpinella medetur Peſti, Rubia ſativa fœtum expellit extinctum.

Pertæſum fere eſt diutius immorari enarrandis talibus inutilibus apinis futilibuſque nugis ſtultitiæ ridiculæ de gradibus herbarum veluti quando ganniunt, tantum in principio aut ſaltem in fine graduum, videlicet

12. Hæ ſunt humidæ in principio tertii gradus, ut Paſtinaca concitat libidinem operandi rebus Venereis.

13. Hæ ſunt calidæ in fine tertii gradus, ut Anethum parit facultatem bene dormiendi, ciet Menſes lactiſque affluentiam creat.

Hæ in ſe poſſident nativum humorem, nativumque calorem ut

14. Ciceres generant ſanguinem pinguem, ſubleſtaque inſomnia, atque cient Vomitum. Orchis recens gignit Amorem caſtum; Orchis ſicca compeſcit Amorem laſcivum, atque conducit vitæ monaſticæ alumnis.

Hæ ſunt mixtæ indolis, ut Canna ſacchari pollet vi confortandi laxandique, Linum album diſſipat atque ſiccat. Quocirca etiam Radici Mechoacannæ Odoreque ſaporeque carenti non minus quam acerrimi ſaporis Radici ſalſæ parillæ aſſignatur operatio eadem, quæ attribuitur Radici Chinæ atque ligno Guajaco.

Hæ atque conſimiles Obſervationes peregrinæ multæ paſſim occurrunt, quales non modo captum humani ingenii anguſtum longè excedunt, ſed etiam

quan-

quantumvis in gradibus conveniant, plurimum tamen in effectibus contrariis differunt; quibus Memdacibus ſtultorum futilitatibus Herbaria ſcatent omnia, ſi cui tantummodo conſtitutum collibitumque fuerit per otium perlegere Catalogos Virtutum Plantarum, cum tamen ex omnibus vix unum Theorema ſit verum, & verum eſſe nequeat. Ex. gr. ebuccinatur, quod Argentaria vel Æthiopis herba ſit tantæ potentiæ, ut Januarum ciſtarumque clauſtra, quibus fuerit admota ſuapte ſponte diſcludantur; & quod Angelicæ herba conciliet Amorem.

Filix ſeu Filicis ſemen periculoſiſſimè paratum ſummopere fortunat poſſeſſores luſuros Chartis, reddit eos inviſibiles pariter atque impenetrabiles adverſus pleroſque gladiorum ictus, ſclopetorumque Globos, præſervat denique à percuſſoribus ac lapſibus.

Victorialis rad. indurat Corpus adverſus Globorum Bombardicorum impetum.

Hypericon poſſeſſoribus patrocinatur adverſus Tonitrua ac fulmina.

Capillus Veneris in bombardis promovet globulum infallibiliter ad metam deſtinatam.

Una conciliat favorem apud Magnates, altera Amorem apud inferioris ſubſellii ſeſſores, fautores fautriceſque, & id genus alia plurima.

Quare quicunque in Medicina de Methodo medendi nihil certius, præſtantiuſque condidicerit, de illius Experientia proletaria jure aſſeverabis meritiſſimo: *Experientia fallax eſt.*

Eſt itaque ſolido irrefragabilis certitudinis fuldamento fultum, quod diverſitas Corporis humorum corruptorum, à fœtore ſive ſapore aliquo venenoſo, vel contrario iſtius ſucci nutritii, ſive hujus fermenti, dabit diverſum modum accidentalem Medicamentorum.

rum. Quippe non ſine admiratione reperiunt curioſi admiratores, quod in unis iiſdemque humani Corporis viſceribus, non tantum multi diverſimode naturati humores ſunt in ſua operatione, ſed quod etiam in una eademque planta quamplurimæ operationes plane peculiares per humores Odorem ſaporemve efficientes inveniuntur. Quia non tantum recondita eſt vis plane alia in Radice, quam in Caule, aliaque in folio, quam in flore, aliaque in fructu quam in Semine, eidem incluſo: verum etiam vis plane ſingularis ineſt in parte Radicis carnoſa quam in Nucleo, aliaque in Caulis cortice, quam in ligno aut medulla, aliaque in novello germine, quam in folio, aliaque in interiore folii latere quàm in exteriore, aliaque in Antheris, quam in flore ipſo; aliaque in Cortice fructus ſeu folliculis ſeminis, quam in intimis ejuſdem penetralibus, quin etiam alia adhuc habetur vis in prædictis jam omnibus aliter atque aliter conſideratis, utpote quibus alia ineſt recentibus quam aridis, alia maturis quam immaturis, alia crudis ac impuris, quam bene præparatis; alia obnoxiis Lunæ creſcenti, quam decreſcenti, alia denique quando externe in Corporis partes in digeſtione calida agendo operantur, quam ſi interne in Corporis Viſcera in Fermentatione ſive Effervefcentia cooperando applicantur. Quippe tales Medici boni dantur raro, quales ad inſerviendum humano generi providam curam Dei Opt. Max. maximam ſat digne attentéque animadvertunt, quippe qui non tantum in Creaturis diverſis, ſed fere omnia, quæ ipſi in quovis neceſſitatis caſu ſubvenire poſſunt, quaſi in unum concentravit in Planta unica; dummodo Archiatrica adhibeatur ſapientia, ac cura.

Equidem dolendum eſt, quod fere nemo animadvertat

vertat peculiares memoratarum Plantarum partes, peculiares ſuaves inſuaveſve Odores, ſapores, Colores, Humiditatem, ſiccitatem, duritiem, mollitiem, figuram ac Habitationem, juxta cum peculiaribus ſignaturis cujuſdam peculiaris interioris proprietatis Efficaciæque ſive utilitatis; ego tamen ſuper memoratis adhuc unum Exemplum veritatis proferam in adſpectum lucemque claritatis, quamvis de pleriſque juſtum conſcribi volumen poſſit.

In Sambuco ubique terrarum naſcente comperias, quod ſi quis Hydropicorum carne radicum ejus veſcatur, aqua intercus ejus corrupta inter exonerandam Alvum validiſſime dejiciatur, & quod ipſius nucleus nequaquam purget, ſed laborantibus Atrophia humores corruptos augeat, & quod viridis Corticula caulis ex omnibus Tumoribus humores per pellis poros extrahat; & quod ejus leucophæa cortex externa poros obſtruat, atque ex humido faciat lentum craſſumque, & quod ejus lignum omnes obſtruentes vapores acidos in inteſtinorum excrementis ad ſeſe *magneticè* attrahat; & quod hujus ligni medulla per ſuum humorem attractivum ſiſtat dyſenteriam, & quod ejus frondium ſummitates cieant fortem Vomitum; Folium verò maturatum neque Vomitum neque Alvum moveat; & quod *latus folii* interius ſuſcitet ulcus cruentum, latus vero ejuſdem exterius reſanet vulnus, & quod Florum Anthera morbos ſoporiferos depellat, Flores vero veternum promoveant, & quod ſuccus baccarum maturatarum ſudorem menſeſque concitent; & quod earum *ſiliquæ* exceſſum iſtorum amborum fortiſſime obſtruant; & quod ejus ſemen fortiter eliciat Urinam, & quod immaturæ *florum gemmæ* in aceto aſſervatæ promoveant ciborum potuſque fermentum; & quod florum ſuavis Odor recreet

recreet ſpiritus vitales, Fœtens vero foliorum Odor operetur contrarium ſedando ſuffocationem uterinam: totius quidem Arboris partes ſunt ingrati *ſaporis*, ſed Flores ac ſuccus coctus baccarum ſunt *grata* atque accepta, ne dicam quod ſambucus ratione ſpeciei ac ſedis ſuæ ſit Arbor ingrata, ſed qualis in caſu neceſſitatis poſſit præſtare vicem Officinæ pharmaceuticæ. Quæcunque autem ego hic annotavi de ſambuco, nonnunquam etiam vel ex inſperato in Plantis aliis compluribus comperias. Compertum namque etiam eſt, quod herbæ Lapathi acuti Sulphuris abundantia non tantum per correctionem Acrimoniæ ſalis in Lymphaticis liquoribus ſcabiem ſanat, verum etiam, quod talis Radix ex *Hydropicis* aquam intercutem expurgat, ejus autem ſemen contra ſiſtit diarrhœam. Deinde de arbuſcula Roriſmarini, (quæ nullos fert fructus nullumque ſemen) quod *pars radicis* inferior purgat; ſuperior vero ejuſdem pars verſus caulem vomitum concitat. Porro quod Bulbi eſculenti circa radices inter ſe ita differunt, ut unus eorum ſit Cibario alimento, alter autem Veneno; & quod ſimul atque radix inferior computruit, ſuperior tum primum adoleſcit ad fungendum vice cibi comedendi.

Conſimiliter *Ireos* Radix una ſurſum exſtans ſpinas ex carne extrahit omnes, altera vero deorſum tendens ſanat Vulnera.

Herba Parietaria inflammat interiora Corporis Viſcera; contra vero refrigerat eadem ſemen.

Nuclei Nucum Avellanarum barbatarum albi alvum cohibent, circumjacens vero in illis molliuſcula caro rubicunda generat Dyſenteriam.

Herbæ maxima ex parte omnes Arborumque Folia ſunt æmula Magneti adverſum ferrum, quippe quoniam interiora earum latera ſemper pollent

vi

vi attractiva ad aperiendum Ulcera Vulnerum, & ad extrahendum humores; contra vero valent exteriora ipſorum latera ad ſanandum vulnera, & ad repellendum eorundem humores, veluti liquet ex *Bardana*, Nymphæa, Vitis foliis, & ſexcentis aliis, quarum commemorandarum ſatietas me jam cepit.

Adhuc repeto. Pauciſſimi Medicorum intelligunt naturam plantarum ſympatheticam & antipatheticam, aut quomodo judicandum ex locis earum nativis, utrum Sal, Sulphur, aut Mercurius prædominium habeat. Omnis namque plantarum diverſitas, ex diverſitate loci petenda: Nec aliter attrahuntur herbæ à Sale, Sulphure aut Mercurio hujus vel illius terræ aut aquæ, (id quod exinde patet, dum in alienis germinare matricibus recuſant) ac ferrum à magnete, avis ab aëre, piſcis ab aqua attrahitur, prout ex ſequenti annotatione patebit. Etenim in terra pingui creſcit omne frumentum, alibi non: In aqua creſcit Nymphæa, non in terra ſicca: In rivulis naſturtium: In locis paludoſis, barba hirci: In vallibus, lilium convallium: In ſterquiliniis, atriplex fœtida: In locis nitroſis, abſynthium: In ſabulis, flos Trinitatis: In ſalebris, Erica: In grumis, taraxacum: In tumulis, ſerpillum: In viis, centumnodia: In pratis, trifolium: In muſco terreſtri, polytrichum aureum: In ſpinis, cuſcuta: In ſepibus, bryonia: In arboribus, hedera arborea: In muris, cheiri flos: In ſaxis, capillus Veneris: In montibus, Carlina: In montium ſuperciliis, Doronicum: In rupibus, ſempervivum minus: In ſylvis, myrtillus: apud quercum, urticæ: Sub arbore ſalicis, polypodium: In apice coryli, & quercus, viſcus corylinus

 & quer-

& quercinus: Sub cortice quercus, pulmonaria, &c. quæ omnia, ut dictum, fiunt ratione ſympathiæ Salis, Sulphuris & Mercurii loci cum plantæ ſale, Sulphure aut Mercurio. Sub nutrimenti namque ſpecie ad ſibi familiare libenter fertur trahiturque planta quævis, cujuſcunque etiam ſaporis, ſive ſit amari, ſive acris, ſive auſteri, ſive acidi, ſive ſalſi, ſive dulcis, ſive pinguis, ſive inſipidi, ſive urinoſi, &c. aut ut alii malunt autores, ſive ſit ſalis abluentis, ſive coagulantis, ſive diaphoretici, ſive diuretici, ſive mundificativi, ſive purgantis, ſive reſolventis, &c. Item ſive ſit ſulphuris anodyni, ſive concoquentis, ſive conſolidantis, ſive continentis, ſive expellentis, ſive mitigantis, ſive narcotici, ſive reſinoſi, ſive ſiſtentis, ſive fragrantis, ſive fœtentis, &c. Item ſive ſit Mercurii humectantis, ſive mitigantis, ſive diſſolventis, ſive exhilarantis, ſive purgantis, ſive laxantis, ſive turgentis, ſive fermentantis, ſive effervescentis, ſive conſumentis, ſive regenerantis, &c. At perpauci Medici hoc obſervarunt in reſtitutione ægrorum, ſanitatem nempe introducendam mediante plantarum ſale, ſulphure aut Mercurio, ſympatethice aut antipathetice in ſapores corporis noſtri prædominantes agente. Et tamen inepti illi Aſini ſalutari volunt Medici Rationales, cum non niſi experientia freti hæc propinent ægris, cauſam cur proſint ignorantes. Et hoc modo introductæ proh dolor! in rem medicam mixturæ theriacales, contrariorum plane ſaporum, odorum ac fœtorum, hacque de cauſa bono jure vocari poſſunt venena & medicamenta anthipathetica, prout ſuperius jam demonſtratum: Ergo nec immerito à recentiorum rationalium Medicorum experientiis abjiciuntur ut calcei veteres, minus verò ſervantur, quamvis contrarium ejus contra Expertiſſimum & Eximium longe

longe Medicum D. Sylvium evincere conetur Caſſius. Nam talia Deorum conſilia, quæ forſan Ethnicis in hac medicinæ compoſitione velut à Jove Junoni in aurem dicta hoc profecto tempore, quo tot ſpectabiles ad rem medicam facientes decerpuntur flores, junioribus Medicis nauſeam movent & faſtidium. Quapropter nullatenus reprehendendi mihi videntur, dum Veterum Experimenta fabuloſa, obſervationeſque aniles, ut Felis prunas, tranſiliunt.

CAPUT XIX.

1. *Affirmatur, quod maxime reſtitui poſſit dulciculus ille anodynus ſulphureus odor fellis ſalinus, mediante quo alterna promovetur requies, fixatus aut præcipitatus.* 2. *Notatur nocumentum, quod herbæ Lunaticæ, niſi corrigentibus ſint ſtipatæ, adferunt.* 3. *Adjiciuntur herbæ, quæ in curandis cerebri cordiſque affectibus prægnantibus veniunt vitandæ.* 4. *Monetur preparcè utendum herbis Saturninis, ob ſuum arſenicale venennm, niſi illud corrigatur acidis, aut perexiguâ exhibeantur illæ doſi.* 5. *additur earum antidotum.*

UT igitur longiſſimam hanc noſtram Parentheſin jam tandem claudamus, revertamur ad *dulciculum* Anodynum Sulphureum Odorem Fellis ſalinum, quo alterna requies, ſeu ſomnus ordinarius promovetur: quòd ſi in morbis gravibus fixatio ejus (in qua mutatio virium ipſius conſiſtit) vel Fermenti præcipitatio per ſalia acida perficeretur, prout

ejus mentionem fecimus; in controverſiam vocatur, nam ille viciſſim per ſuum appropriatum ſive ſympatheticum fragranſve graveolenſve aut ſulphureum ſal ad reſtitutionem reperiri poſſit ex natura Plantæ ad hoc ſignatæ. Verumenimvero nihil eſt quod quiſquam de hoc dubitet, providam rerum naturam habuiſſe ac ſuſtinuiſſe accuratiſſimas curas tam *Cerebri* & Cordis per Odorem, quam *Oris*, ſtomachi & ilium in ſuis Plantis per ſaporem, & Viſus per Colores, & Auditus per ſonos & Echos, atque tactus per objecta contrectatu mollia ac dura. Quinetiam copiam hujus ſympathetici naturæ congruentis, Anodyni, volatilis, fragrantiſque ſulphuris ſalini reperias in ſubſequentibus, quod nimirum maxima horum Venereorum Jovialiumque florum aut foliorum pars eſt adſpicientium Oculis oblectamento, & Cerebro confortationi, propter ſuum ſubtilem *Odorem* ſulphureum, & Cordi recreationi, cum propter velociſſimum penetratiſſimumque pernicitatis Odorem ſaporemque ſapore Balſamico longo comitante, cujus beneficio ipſa plurimum una Cerebri Glandularum Lympham imbibunt, adverſus putrefactionem præſtant vicem Balſami condientis, Efferveſcenſque eorum ſal Acidum mortificant ac dulcificant, eorundemque fermenti indolem confortant promoventque, atque ita in Corde etiam propterea Calorem naturalem augent, & ſpiritus vegetativos vitaleſque confortant ac recreant, taliterque Cerebri ac Cordis variis morborum Venenis reſiſtunt, eaque expellunt, tum propter ſui calefacientis ſulphuris vivi proprietatem, non tantum multos tenaces Humores efficiunt, raros aptoſque ad expellendum eos per ordinaria Emunctoria ac Poros, ſed iſtiuſmodi conſervant etiam ad humectandum Membranoſas partes omnes, idque nominatim

Flo-

Floribus & Corticibus Aurantiarum, herba abrotani, ſemine aquilegii, flore Acatiæ, Acus, Moſchato, Caprifolii, Caryophyllis, Aromatibus, floribus, Chamomillæ, Cheiri flor. Croci Orientalis, Cyani, Cyclamini odorati, Filipendulæ, fragorum Gerundi, Moſchati, Hyacinthidis, Jaſmini, ireos florent. lavendulæ, liliorum Convallium, lilii albi & citrini, flor. in herba Majoranæ, matri ſylvæ, meliſſæ, millefolii, Myrtorum flor. narciſſi, nigelli ſemine, Roſarum, Roſmarini, Sambuci, Serpilli, Sigilli Salomonis odorati, Stœchados arb. flor. Tiliæ, Thymiæ, Triorchis odorat. flor. Veronicæ, Violarum, Vitis viniferæ floribus in viſco Corylino, Viſco quercino, &c.

Hæ conſimileſque ex rationibus etiamnum ſupra prolatis, plures dantur ad hoc conducibiles. Hinc enim uſuvenit, ut *peritus Archiater* per diffuſi illorum Odoris verni Anodynum effectum ſæpenumero Apoplexiam, & Epilepſiam, puerorumque terrorem medicari poſſit, idque univerſum vi harmoniatæ harmoniæ ſulphurei Odoris ſalini cum membranoſis viſceribus & harmonia ſiccitatis ſulphuris, atque humiditatis Mercurii. Etenim quamvis illud crebris jam mentionibus uſurpatum ſal *Vegetabilium* ſulphureum, poſteaquam in actum pro Odore deductum fuerit, in gradu præcelſo fermentantis ſuæ naturæ ex conſequenti calefactivum ſit; Veruntamen illud per Mercurialis ſalis immixtionem ſat bene refrigeratur, atque in ſuis ſulphureis proprietatibus temperatur, uſqueadeo ut tertium inde proveniens non ſit niſi pergrata lympha dulcis, ad promovendum tam motum fermentationis, quam ſeparationis & Exonerationis. Quod ſi morbi fuerint nimis acuti, velut in

Febribus malignis peſtilentialibuſque contingit, ubi illud in Effervescentiam collatum per ſe dulce ac ſuave ſal volatile ſulphureum facile redditur Acre, craſſum putidumque, & proinde requiem alternam adimit pervigilemque phreneſin inducit. Tunc Medici intelligentia ſecundum requiſita uſus illorum conſilia ſua accommodare tenetur, utrum adhibiturus illa ſit nec ne, aut numnam ad requirentem naturæ temperaturam additurus ſit alterius cujuſdam Plantæ Mercuriale humectans, atque ita refrigerans, ſulphuriſque præcipitans Sal, id quod reperitur omnium fortiſſimum in Lunaticarum Plantarum floribus foliiſque, utpote quæ maxima ex parte in ſe poſſident parum gratæ oculis oblectationis, atque ſunt ob ſuum perpaucum aquoſum Odorem Sulphureum non admodum confortativa Cerebri, atque ob ſuum aqueum fatuæque dulcedinis ſalinum ſaporem non magnopere recreativa cordis. Quod quum tales effuſe augeant omnium rheumatum humorem Glandularumque Lympham juſto liquidiorem reddant, per quandam neceſſario conſequentem refrigerationem ſulphureæ proprietatis, ideo talium uſus comprimis apud complexiones ſeu conſtitutiones humidas Fermento eſt impedimento, generatque putrefactiones, quarum vitio extinguitur Calor nativus pariter atque naturalis cum ſpiritibus vitalibus. Hinc autem multa morborum Venena procreantur, quæ & Cerebrum & Cor aggravant. Quippe illa propter ſuam Mercurialem indolem corruptu facilem debito liquidiorem, reddunt omnium conglutinantium lympham Glandularum, eandemque deinceps nullo negotio per poros expellunt, atque mox omnes membranoſæ corporis partes tumore inflantur. Attamen illa in uſum Medicinæ adverſus morbos ſiccos Sulphureos ſalu-

ſalutariter adhibentur, & valent inſigniter ad corrigendum remedia ſuperius jam uſurpata qualia ſunt.

Herb. Accipitrinæ, Alſinæ variæ ſpecies, Anagallis var. ſpec. Anguillaræ var. ſpec. Auriculæ Urſi, var. ſpec. Becabungiæ, Been albi & rubri, Bellidis var. ſpec. Borraginis, Bugloſſæ var. ſpec. Citrulli, Craſſulæ var. ſpec. Cucumeris var. ſpec. Dentis leonis, Fragariæ, Graminis var. ſpec. Hepaticæ aquat. Hederulæ aquat. Hydrolappathi, Hippolappathi, Hieracii var. ſpec. Junci aquatici maximi, Lactucæ var. ſpec. Lenticulæ paluſt. Meloſaccharini, Nymphææ var. ſpec. Oleris var. ſpec. Peponum var. ſpec. Pringuiculæ, Piſorum var. ſpec. Plantaginis var. ſpec. Portulacæ var. ſpec. Primulæ veris var. ſpec. Sedi var. ſpec. Sigilli Salomonis ſylveſt. Sonchi var. ſpec. Tritici var. ſpec. Umbilici Veneris var. ſpec. Vitis folia.

Hæc & conſimilia alia plura omnia Ebullitionem ſanguinis aliarumque partium humiditates congruenter Naturæ ſiſtunt, quippe quoniam ipſa calorem præternaturalem ex Odore Sulphureo prognatum non tantum Magneticè attrahunt, ſanguinemque factum ſubtilem per conſequens denuo incraſſant ſed etiam quum ipſorum ſal Mercuriale ſit exigui Caloris partes Corporis in ſal ſubacidum mutant, quo Sulphur memoratum paulatim quaſi in requiem præcipitando adducitur. Atque ita juxta aſſeverata ſupra de ſulphurei Odoris ſalini indole nullatenus eſt dubitandum. Solum quippe ſulphur ſive volatile ſive fixum, ſive dulce, ſive Amarum, ſive durum, ſive molle ſua ipſius vi ſenſibiliter reſiſtit putrefactioni, pro cujuſque propriarum Corporis partium Sympathetice requirente fragrante fœtenteve ſulphure, veluti diximus antea: id quod medico bonæ notæ notandum probe eſt. Quippe

ſi quandoque apud hominem quendam illud non ſatis in Fellis veſicula digeſtum fellei Amaritiei ſal ſulphureum ſive Nitroſitas in corruptionem inducitur, eſt quoque eorum Odoris effectus ad conſervandum ſanitatem inefficax, atque interquieſcit in ſuo officio fermentativo Balſamicoque, cujus indolis membranoſis partibus ipſe eo ſuam præſtare officii operam tenetur, prout ſupra fuit memoratum. Quod quum ſulphur maneat ſulphur, & non niſi ex ſuavi in fœtentem atque ex volatili in fixum ſit converſum, ejus quoque progeniti morbi ſimul omnes ſunt vel perbrevis vel diuturnæ durationis, conſervantque ſe à mutatione levi pro more ſui maligni ſulphuris. Hic igitur opere Naturæ ceſſante, ars viciſſim capere primordium tenetur, per inſequentium plantarum amarum ſulphureum ſal fervens, idque comprimis in talibus vitiis morbiſque ſolis, qualis in Viris generatur ex retenti ſeminis putrefactione, & in fœminis ex retenti ſeminis menſtruique marcore, attamen alias illa ſine adhibita correctura aliqua in Medicinæ Regno parum ſalutis afferunt, quum ejuſmodi ſulphureum ſal Amarum in nimia Mercurialis ſucci Lymphatici elevatione, & ex conſequentia cujuſdam inflammationis pariat ſanguinis ebullitionem. Nominatim autem talium Remediorum uſus nullatenus eſt adhibendus ad opitulandum Mulieribus ſignatis, quandoquidem talia ſulphura præ ebullitione nimis forti per poros evaporando exſiccant, unde fœtui pabulum illud nutriens, Lympha Mercurialis adimitur, ne dicam quod perfacile abortus inde progeneratur; inſequentia igitur vitanda ſunt in curandis Cerebri Cordiſque Morbis ſeu Symptomatibus.

Herba Abſynthii var. ſpec. Acanthi var. ſpec. Acori veri, Africani flos, Alchimillæ flos, Alkekengii

fructus,

fructus, Altheæ var. ſpec. Angelicæ var. ſpec. Apii, Archangelicæ, Ariſtolochiæ var. ſpec. Artemiſiæ, Bardanæ majoris & minoris, Barbareæ mas & fœmina, Blattariæ, Botrys, Brancæ urſinæ alteræ, Calaminthæ var. ſpec. Cannabis, Cannabinæ, Capparis, Cardiacæ, Caravi, Cardui benedicti, Cardui pignomi, Carlinæ, Cavæ radix, Chamomillæ, Chamomillæ Romanæ, Chelidonii majoris, vel minoris, Cherefolii majoris & ſylveſtris, Cetrachii, Cochleariæ, Coloquintidis, Coriandri, Cumini, Dauci Cretenſis, Ebuli, Epimedii, Equiſeti, Ericæ var. ſpec. Eriſinionis, Fœni Græci, Filice var. ſpec. Fraxinellæ albæ, Gentianæ var. ſpec. Geranci ſylveſt. Heliotropii, Hepaticæ var. ſpec. Hippoſelini, Hermini var. ſpec. Hyſſopi imperatorii, Juglandum folia, Leviſtici, Lappathi var. ſpec. Pinariæ, Libanothidis var. ſpec. Lyſimachiæ var. ſpec. Matricariæ, Menthæ var. ſpec. Mentaſtri var. ſpec. Marrubii var. ſpec. Millefolii, Napi, Nardi celticæ, Naſturtii var. ſpec. Nepethæ, Nicotianæ var. ſpec. Oſtrutii, Oxytrifilonis, Papaveris var. ſpec. Patientiæ pedicularis, Pentaphylli var. ſpéc. Petroſelini var. ſpec. Peucedani var. ſpec. Pimpinellæ, Pyrolæ var. ſpec. Quinque folii var. ſpe. Rhabarbari Monachor. Rutæ var. ſpec. Salviæ, Saniculæ, Satureiæ, Sorpilli, Scordii, Spicæ Celticæ, Spargulæ, Stœchadis, Tuncati, Trifolii paludoſi, Valerianæ, Virgæ aureæ var. ſpec., Unifolii, Urticæ var. ſpec. Ulmariæ, &c.

Quia verò memoratæ jam herbæ propter ſuam ſulphurei ſalis prædominantem amaritiem non parum exſiccant, ſicque in omnibus morbis minus conveniunt, admiſceri iiſdem poſſunt vel herbæ ſubacidæ ſalinæ, vel Mercuriales, quales facile in ſubacidum abeunt ſaporem, ut ſulphur ipſarum amarum præcipitetur, atque conſequenter temperetur, quales ſunt

Acetoſa, Africanæ, Americanæ, Anguinæ, Bucephaliferæ Creticæ, Hiſpanicæ minoris, Ocymi foliæ, Ovillæ rotundi-folio Romanæ, ſemine aculeato ſylveſtris, Belgioræ tuberoſæ vulgaris, Zazynthiæ parvæ. Acidulæ Gallicæ, Allelujæ, Atriplicis var. ſpec. Balſamicæ Cucumerinæ, Betæ var. ſp. Bliti var. ſpec. Braſſicæ var. ſpec. Bupleuris var. ſpec. Cardaminæ var. ſpec. Caſſiæ var. ſpec. Cotylidonis var. ſpec. Coronopi var. ſpec. Cucumeris var. ſpec. Cucurbitæ var. ſpec. Cyſtus var. ſpec. Fabarum var. ſpec. Fontilappathi var. ſpec, Puſilli, Farſaræ, Filipendulæ aquat. graminis aquat. Halami arboreſcentis, Hederæ arboreæ, Junci aquat. Lichnis Chriſti var. ſpec. Linguæ ſerpentis, Lyſimachiæ, Melonis var. ſpec. Molluginis var. ſpec. Mercurialis, Milii var. ſpec. Muſcarii, Myrtilli, Baccarum, Nummulariæ, Ornithogali var. ſpec. Plantaginis aquat. Phalangii var. ſpec. Pſeudolyſimachiæ var. ſpec. Pyromelonis, Pſyllii, ranæ morſus, Reſedæ, Sagittariæ var. ſpec. Sempervivi var. ſpec. Spinachiæ, Stellarii aquat. Symphiti, Telephi var. ſpec. Trifolii paludoſi, Violariæ ſylveſtr. Violæ Melancholicæ var. ſpec. Ulmariæ var. ſpec.

Huc quoque præter cætera poſſunt referri illæ jam ſuperius memoratæ, Cordis Cerebrique refrigerantes, ſulphuriſve præcipitantes plantæ, ſed ob promiſſum à nobis ſtudium brevitatis non ſunt adhuc ſemel reiterandæ, neque hæ poſteriores prioribus adjungendæ; idque ad inveniendum differentiam craſſiorum Odorum, ſaporumque aquaticorum.

Hæ quidem conſimilesſque plures non ſunt Sulphurei ſalis craſſe fœtidi expertes: aliquæ tamen abundant quantitate multo majore paluſtris Mercurialis Humiditatis, ſive ſalinæ ſubaciditatis, & ſe-

cundum Harmoniæ poſtulata Sympathetice agunt in mixtura, adverſus Cordis Cerebrique vitia, ſed, ut ſuperius condocuimus, in Matricis conſimiliumque affectibus ex ſeminis retentione, & quicquid ritu ejuſmodi ab eorum Sulphure fervente exſiccatum fuerit.

Quocirca pro more membri affecti lympha mucilaginoſa ac coagulata ab harum plantarum Mercuriali humiditate reſolvitur & per earum ſal ſubacidum non tantum idonea redditur ab ſubeundum fermentum, ſed etiam ad exonerandum ſe per eorum emunctoria: attamen multo melius ſibi quis conſulit, ſi à Saturninarum harum plantarum conſimiliumque uſu, quoad ejus fieri poteſt, ſe abſtineat, earumque loco talia ſubſtituat remedia, ex quorum uſu nihil timendum periculi. Quia prædictarum craſſe amararum plantarum Antipatheticè ſe habens Narcoticus Sulphureus Odor ac ſapor, non tantum loco ſomni quietiſſimi generat multas inquietis vigilias, ingenteſque Capitis dolores, in quantum ipſe Membranulas ſanguinemque Arteriarum minus inflammat, & effervefacit, unde & multæ pectoris moleſtiæ, ut Aſthmata, ſanguinis ſputum, & Cordis palpitationes oriuntur, ſed conſimiliter etiam agunt ipſorum correctoria ſubdulcia, prout paulo ante deſcripſimus, cum illa ex quodam Antipathetico paluſtri Mercuriali humido & craſſo fixo Acido ſale proveniunt & ex gemina illa amborum mixtura tertium quid enaſcitur, quod neutiquam eſt ulla grata *nitroſitas*, ſive fel, ſed vere Acre arſenicale, ſive Mercuriale excorians venenum membranoſorum viſcerum, prout nos ex compoſitione conſimili deprehendimus in Saturninis plantis ſuperius non ſemel uſurpatis, nominatim autem in Aconito, Brionia, Cataputia var. ſpec. Cedri arbore, Cha-

Chamælea, Coriandro, Colocynthide, Cicuta, Cicutaria, Cucumere Aſinino, Rapunculo aquat. Eſulæ var. ſpec. Euphorb. Ephemero lethali Veneto, Flammula Jovis, gratiolæ var. ſpec. Gummi de Peru, Helleborina *anguſti folii*, Helleboraſtro maximo pediculari, Helleboro albo, Hyoſcyami var. ſpec. malo inſano, Mandragora, marrubio nigro, Napelli var. ſpec. Nicotiana var. ſpec. Opio Paris, Herb. Papaveris var. ſpe. Perſicaria, Pipere, Indico longo, Pomo amoris, Pulſatilla, Pyrethro vulgi Romano, Ranunculi var. ſpe. Ricino, Sambuco, Sabina, Scammonea, Squilla, Sinapi var. ſpec. Staphisagria, Tithymalli var. ſpec. Thymalia, Veratri var. ſpec. Verrucaria &c.

In his conſimilibuſque pluribus obſervabis, quod omnes ſunt fœtente putrido aqueo ſulphureo Odore imbutæ, pariter atque forti ardente ſapore ſalino, quippe qui ardor à ſulphure in illis prædominante in Mercurialem humiditatem, atque ſal craſſum etiamnum ſuperat. Quôd ſi quis per imprudentiam nimium ejus uſurpaverit, & proinde ejus concitatam ſanguinis alteriuſve humiditatis in vaſis lymphaticis Effervescentiam præcipitare teneatur, hoc perficiendum eſſet per cujuſdam conformis plantæ ſympatheticæ naturam attractivam, atque ita ejus immoderatæ geminales Menſtruales ac Hæmorrhoidales defluxiones eſſent cohibendæ ſeu ſiſtendæ per medicamenta ex

Alkannæ rad. Buxi arboris foliis; Conſolidæ nigræ florib. Cynogloſſæ rad. liliis cæruleis, Morſu Ranæ, Malva arboreſcente, Pæoniæ floribus, Rubia tinctorum, Nymphææ foliis, rad. Solani atque ſempervivi majoris, Tormentillæ rad.

Quod

Quod quum Deus Opt. Max. ſub hanc noviſſimam mundi ætatem generi humano elargitus ſit eminentiſſimam Chymiæ nobilis perfectionem, facile nos ab hiſce conſimilibuſque periculoſis ac Cordi Cerebroque pernicioſis remediis iiſque forinſecus ſaltem applicandis poſſumus jam abſtinere, atque uſu celeriore adhibere, poſteaquam hæc ipſa quis *More Chymico* fermentativo prius bene præparaverit eorundemque ſalis venenoſi ſulphurei & Narcotici fœtentis effectum correxerit, atque fixum ac ſalutare reddiderit.

CAPUT XX.

Hic. 1. agitur de virtute anodyna Salis Sulphurei volatilis tam animalium & mineralium, quam vegetabilium. 2. Docetur medicamenta ægri naturæ ac conſtitutioni reſpondentia eſſe adminiſtranda. 3. Confirmatur illud axioma, quod corruptio unius ſit generatio alterius. 4. *Adduntur quædam obſervationes de tertio ex compoſitione duorum aut plurium corporum reſultante. Adjiciuntur etiam requiſita boni Medici. 6. Demonſtratur in Trini compoſitione conſiſtere perfectionem omnem. 7. Adnectuntur varia corollaria.*

QUod vis Anodyna, prout ſuperius demonſtravi, in ſubtili fellis ſale ſulphureo conſiſtat, id ipſum poſt exoneratam abs quovis homine ſano Al-

Alvum vel ex craſſiore ejus parte mixta cum Anodyno ſale ſulphureo condiſcas. Quippe quod Excrementi genus non tantum in malis doloroſis omnibus, ſimul atque ipſis illud tantum externe impoſueris adhuc calens, quaſi miracula patrat, idque eo quod omnia corrodentia ſalia Acida, mortificant cuncta ſalia ſulphurea, & quod Acida cuncta præcipitando Mortem ex hoc ſulphureo ſale ſibi ipſis comedant, ſive illa ſint *volatilia ſive fixa*, ſed etiam effectum æque grandem præſtant ad corrigendum ſulphureos eorundem vapores, puta Exanthematum, Morbillorum, Variolorum, Eryſipelatis, anginæ. Hinc etiam in morbis conſimilibus ex tempore alvus adſtringitur, & Corpus præcluditur. Quod ſi illis ſeſe etiam Diarrhœa comitem adjungeret aut præberet, non ſunt niſi ſigna Mortis prædominiique iſtius Veneni Lymphatici ſucci, ac ſanguinis, veruntamen cum Excrementa humani Corporis ob ſuum putridum Odorem ſulphureum, pleriſque ſint abominabilia atque nauſeoſa uſu, illis abſtineri poterit; cum tamen talis Odor etiam circa pleraque alia ſubjecta Sulphuris ita præcipitati per Acida compluſcula reperiatur, nempe in Ovis putridis, in quibus per Ovi albuminis Mercurialem Aciditatem præcipitatur ſulphureum vitelli oleoſum. Idem comperias cira præparationem lactis ſulphuris, pariter atque Antimonii ſulphuris aurati, & Butyri Antimonii. Quod quamvis iſtiuſmodi adverſentur multis multorum hominum conſtitutionibus naturalibus, eadem tamen comperias in aliis Plantis, utpote quæ externe applicitæ vim conſimilem Naroticam, ſive Anodynam ſulphuream ſalinam in ſe poſſideant, qualia ſunt in Alliaria, Allio, Alpino, Atriplico fœtido, Africano flore, Angelica, Anetho, Aſparago, Apio, Apio aquat. Bardana, Blattaria, Botride, Brio-

Brionia, Branca Urſina, Calam. aquat. Cardiaca, Carthamo, Carlina, Chærefolio, Americana, Cæpa, Cætraiſio, Coriandro, Cannabe Cannabina, Conſolida, Cicuta, Cicutaria, Dauco ſylveſt. Ebulo, filice, fraxinella, fœno-græco, Hedera terreſtri, Hyoſcyamo, Hormino, Imperatoriæ, Leviſtico, Linario, Mentha criſpa, Mandragora, Mentha aquatic. Mentaſtro, Marrubio, Matricaria, Naſturtio aquatic. Naſturtio Indico, Nicotiana, Nepeta, Oſtrutio, Opio, Papavere erratic. Perſicariæ, Paradiſi ſemine, Pera moris, Pipere aquat. Porri, quinque foliis ſylveſt. Ranæ morſu, Ruta, Salvia ſalvat. Scordio, Salano, Sabina, Staphis Agria, Saphia Chirurgica, Samola, Serpentina, Tanaleto, Thapſionum, Urtica, Valeriana, Verbaſco, Vulvaria, Vitæ arbore, cæteris compluribus ejus generis Narcoticis ſulphureis.

Quod quum hi Odoris ſulphurei omnes præditi ſint æque vi reſolvente per cauſam accedentis humoris Mercurialis atque vi expellente per ſuum ſaporem ſalinum, hominibus ſanguine abundantibus cavendum eſt ab illorum tam Odore, quam ſapore, ipſorum namque ſal provocat menſes, ſecundinaſque, & ſuffocationem Uterinam ſiſtit per nudum Odorem ſulphureum, quippe quoniam ex eorum ferveſcente Fœtore ſulphureo acida ſalia in utero ſibi mortem comedunt atque ſe cum *Sulphure* ſimul præcipitant, eo quod talem Efferveſcentiam productam produxit craſſum ſal acidum.

Hæ conſimileſque operationes ſunt obſervatu dignæ, quippe quibus ſolis opus Naturæ Artiſque ſimul in talem redigitur Harmoniam eximiam, ut ejus beneficio peritiſſimus aliquis Phyſicus poſſit in Naturæ regno patrare admiranda.

Neque vero eſt, quod ſeſe quiſquam, à mendaciloquis pleriſque ſcriptoribus de mirificis Plantarum effe-

Digitized by Google

effectibus patiatur induci in tranſennam fidei ſubleſtæ adverſus atteſtantes, plures ægros ab illis vita orbari, quam in vitam revocari. Quicunque igitur mirificam ſulphurum, ſalium, Mercuriorum Sympathiam & Antipathiam ſat recte intelligit, Jure ſe pro Philoſopho primario agere poteſt. Quum enim Ars Chymiæ nobiliſſima nobis multos effectus miros in ejuſmodi rerum inverſione invertente ſubſtantias pariter atque eſſentias commonſtret, liquido conſtat, quod opus præparationis illarum ipſum nobis in perexigua quantitate exhibeat miracula ingentia, præ quibus ſæpenumero Opus Naturæ magnum quietem capere tenetur. Jam quippe deliberatum mihi non eſt de illis multa commemorare. Quemadmodum nos de mirificis effectibus Excrementi maximis, de craſſiore ſulphurea parte fellis ſalina docuimus: Ita etiam non minus quicquam eorum comperias in Mercurialibus humiditatibus atque in ſalinis partibus urinæ craſſiſſimis. Quippe inter ſecernendum à ſanguine ſæpiſſime *fermentando*, in eo ſeſe ſimul immiſcuit, atque ab illius acore coagulavit ſive præcipitavit aliquod ex toto pingue dulce, quantumvis craſſum ſulphur Saturninum atque ita etiam idcirco in ſuo fœtore contrario ab alvi excrementis non adeo longe differt, maxime ſi quis craſſos ſulphureos ceperit Cibos, ex cujus Odoris proprietate effectus ipſius eſt maximus accedens ad ſimilitudinem Odoris ſaturnini.

Arboris Abietis, Herbæ Cinaræ ſeu Artiſoccæ, Aſparagi, Atriplices, Bliti, Buci arboris, Barbæ Jovis, Cynogloſſæ, Chærefolii Americani, Chærefolii hortenſ. fabarum, iridis, juniperi, cærul. aquat. lupuli, lentis, malorum ſubterraneorum, maſticis, Petroſelini, Piſorum, Ranæ morſus, Sambuci, Terebinthinæ, Vitiarum.

Hæ

Hæ conſimileſque plures ex Odoris ſignatura comparem effectum Sympatheticum exſerunt, præſertim in urina, poſtquam memoratarum quaſdam in cibo perceperis, earundemque Odorem multo fortius perſentiſces, eſtque certiſſimum, quod ipſæ ſat artificioſe correctæ in Renum effectibus vim inſignem medicamentoſam emittant; Virtus tamen ipſarum operatrix multo fortior reperitur, non tantum in ſale, ſed etiam in ſpiritu urinæ ſalis Armoniaci, Succini, fuliginis, cornu Cervi, Tartari &c.

Quod ſi quis conſimilium uſu indigeat, in dolorificis Muſculorum laborantium Nervis, earum operationes ſe produnt, non tantum in externis corporis partibus verum etiam ſat efficaciter in internis, uſqueadeo ut vel palmam præripiant omnibus à Medicorum ullo unquam hactenus de tali plantarum farragine conſcriptis; veruntamen cum plerorumque hominum Natura, adverſus hunc conſimilemque medicamentorum talium ſurphureum Odorem ſalinum, forti afficiatur Antipathia, ea juxta Artis requiſitum ſunt corrigenda. Tam implicite, quam explicite, nos jam ſignificavimus, quod non omnis omnium hominum natura æqualiter pariterque ab illis abhorreat. Quippe Tempus & uſus Magiſtri rerum optimi nos condocent, quod Ruſticus Lypothymiam patiens ex Odore ſtercoris ſuilli Acido plus refectionis ſentiat quam ex Aceto roſaceo aut Oleo cinnamoni, idque per alteram illam in ruſticis naturam, qualis ex aſſuetudine eſt in ipſorum Cordis Cerebrique Membranulis implantata contra naturam. Quinimo nobis generatim innoteſcit, quod ex ſingulari quodam ſympathiæ genere Natura Saturnina ſat contenta acquieſcat & in Odore & in ſapore Angelicæ, Bardantæ, Hederæ terreſtris, liguſtici, oſtrutii, urticæ. Quinetiam uſus nos condocuit, quod

 ho-

hominis Venerei natura Sympathetice acquieſcat, & odore & ſapore Amaranthi, Hyacinthi, Jaſmini, Lavendulæ, Narciſſi, Roſarum, Syringis, Vetonicæ, aliorumque. Pari ratione Saturninæ hominum conſtitutioni plus ſalutis affert Scammonea, Coloquintum & Gummi de Peru, quam Venereæ complexioni purgans ex Caſſia, Manna, & Sennæ foliis, quippe quoniam ex quodam conſimili craſſo ſulphureo fœtente, ſale ſaturnino compoſita fellis nitroſitas partes Corporis organicas ſuſtentat ac conſervat. Hæc conſimiliaque plura, quorum ego in nonnullis ſcriptorum meorum aliis jam mentionem feci, eo conſilio ac fine mentem meam ſatis ſuperque aperiunt, ut reſciſcas, naturam natura gaudere, atque res omnes eſſe viciſſitudini ſeu mutationi obnoxias, tam per hominis Naturam, quam per artem. Quippe Natura Fermenti in ventriculis, juxta atque ars Fermenti in vitris omnia Acida convertit in dulcia, dulciaque è contrario omnia in Acida, omnia fœtentia in fragrantia, fragrantia omnia in putentia, omniaque fixa in volatilia, volatiliaque omnia in fixa, prout etiam demonſtravimus inter tractandum de Fermenti proprietate.

Hac enim via utrumque tam Ars quam Natura parant ex mellis Mercuriali ſale ſulphureo dulci fixo, non tantum ſal ſulphureum volatile, ſive mellis ſpiritum vinoſum, verum etiam per moram digeſtionis longam ex ſulphureo ſale volatili conficitur ſal Acidum fixum ſive mellis Tartarus vinoſus. Atque poſt ulteriorem denique unionem volatilis ſpiritus ſalis Tartari conficitur adhuc aliquod tertium utriuſque Naturæ in una participans, videlicet ſalpetræ, præſtabile fragrans. Hoc quippe eſt opus & Naturæ & Artis, ut verus Chymico-Medicus Antipathiam & Sympathiam rerum dulces fœtenteſve Odores, aut

Sapo-

Sapores, ſulphura ſalia, Mercurios, ſive fixos ſive volatiles, Naturarum in illis diverſarum unionem in interiore penetrali redigere in Analogiam Harmonicam calleat, idque ſolum ſecundum majorem minoremve quantitatem poſſeſſi in ſe ſulphuris volatilis fixive cum ſale volatili aut fixo in proprietate ingenita atque ſecundum quantitatem, ſive prædominationem unius in alterum etiam illius pernicies aut utilitas juxta requiſitum cujuſque peculiaris indolis propriæ conſiſtit. Tandem quamvis Archiater omnia dextre perfecerit, tamen Natura atque Ars permanent tales magiſtræ, qualibus obſtetricantibus viciſſim, prout diximus per novum Fermentum, novas Efferveſcentias aut novas Putrefactiones eſt Natura una in alteram beneficio inverſionis convertenda, uſque adeo ut ex dulci Melle veniat Antimoniale venenum Acidum, pariter atque ex Acido Antimonio venenato Medicamentum mellei dulcoris. Quia *corruptio unius eſt generatio alterius.* Hinc comperias ex Herbis Floribuſque corruptis naſci tineas ac muſcas, æque atque ex corruptis Alvi Excrementis Lumbricos, ex ſuppreſſo ſudore pediculos, & Vermes nigros in Puſtulis Naſorum Mentorumque; ex urina fœtida pulices atque ex putrefacta animalium carne Crabrones ac Veſpas, prout legas in permultis libris, potiſſimum autem in Metamorphoſi Naturali, Johannis Gedarti conſcripta in Zelandia. Quotuſquiſque enim animadvertit Originem plerarumque Creaturarum per mirificam mixturæ Fermentationem ac putrefactionem?

Quippe illuſtratis experientiæ oculis conſpicias, quod quando in aliqua pura dulci humiditate Mercuriali perficitur mixtura legitima cum grata Amaritie ſulphurea, atque munda ſalina Aciditate prædominante, tandem ex horum trium mixtura

naturæ congrua conſit fermentatio, in cujus conſummatione Aciditas ſalina pura confortatur, eidemque prorogatur prædominium in Amaritudinem ſulphureum. Atque ita nobile ſal cibarium, quod in quotidianos uſus noſtros conferimus, eſt Oceani aut Montium. Contra de trina eaque Naturæ congrua Mixtura ex limoſa dulci humiditate Mercuriali & immunda oleoſa amaraque ſiccitate ſulphurea pariter atque etiam ex immunda recrementitia Aciditate ſalina producitur quædam Effervescentia, in cujus terminatione confortatur *ſulphurea* Amaritudo impura continuatum retinet dominium in Aciditatem, atque ita eſt nitrum ardens, quale & in pleriſque locis ſubterraneis cellarumque parietibus reperitur, & ad conficiendum ſal petræ adhibetur. Conſimiliter etiam ex commixta aliqua maximam partem urinoſam volatili humiditate Mercuriali, & minus craſſa volatili Amara ſiccitate ſulphurea, atque ex fixa prædominante Acrimonia ſalina tanquam ex trina Mixtura fit tandem Effervescentia, in cujus terminatione confortatur fixa prædominans Acrimonia ſalina, atque hac via inde conſit germanum ſal Armoniacum. Quin etiam hinc fit ut iſto pacto ex Acri ſale Chyli, atque ex Amaro ſulphureo fellis ſale in humano Corpore progignatur ſal Tertium, quale non eſt acre neu amarum, atque hoc eſt ſal urinæ, plurimum autem præcipitati ſulphuris dulcis reperias in Excrementis Alvi nuſquam non fixum. Quapropter etiam res omnes quæ acidæ ſunt referentes Acrimoniam ſalinam, dicuntur eſſe ſalmiacæ indolis, prout in Malis Cydoniis, Meſpilis, conſimilibuſque reperias. Item ex commixta volatili craſſa ſiccitate Sulphurea, & forti dulcedine Mercuriali, atque ſicciſſima ſalſedine Acida, tanquam ex trina mixtura tandem componitur

talis

talis Effervefcentia, in quali terminatione prædominans ſicca Aciditas ſalina ita duplicatur, ut abeat iu verum vitriolum Veneris, aut Martis, quippe quoniam in eo eſt gemina ſalis prædominatio, in Sulphur craſſum, quod eſt omnino crudum, acidum & adſtringens. Hinc de immaturis Vinearum uvis, de malis, de pyris, de prunis, conſimilibuſque fructibus nondum ſat mitibus dicitur, illos eſſe magis vitriolatos. Præterea quoque ex iſthac conſimilique Mixtura (dummodo Sulphur ſiccum amare dulce aliquanto plus prædominatur, veluti ſupra commeminimus) ſecundum Artis leges ac præcepta paratur *alumen album* & rubrum, atque Saccharum Saturni & Jovis.

Enimvero certiſſime conſtat, quod in talibus ſulphur præcipitatum Amarum dulce ab Acido ſalis ipſius ſtiptici perquam potenter prædominatur. Quum igitur omnia iſtiuſmodi aluminoſa Ebullitionem ſanguinis præcipitent, ipſa etiam ſunt febrifuga.

Hinc ſi quis etiam radicum Aluminoſitatem in ſuo gradu quandoque ita exaltare voluerit, ut Stiptica vis adſtrictoria in nonnullis febribus tanto melius ſanguinis Effervefcentiam præcipitare poſſit, ipſius erit addere duntaxat unicum Acetoſum ſalis aut ſuccum *citri*, quippe quo ſumpto ſudabitur, atque febris fugata exterminabitur, perinde atque vi Corticis de Peru, Ligni ſerpentinæ, aut Gentianæ; admirationem pleriſque non mediocrem movet, quod vel leviſſimus Aſpidis ſeu Colubri ictus, aut Rabioſi carnis Morſus, (ſi quando ſaltem puſillus ſurculus Nervi tentatur ſeu inficitur) confeſtim per Nervum totum retro agatur in muſculum extenſorium ſcapulæ, atque deinceps momentaliter per ſpinam dorſi univerſam, & porro per nervos omnes Membranulaſque cum horrore ac tremore, atque tandem in

ſanguinem immigrans, multum Ardoris, & in ſuccum Lymphaticum ſe proripiens, gignat Effervеſcentiam magnopere ſudoriferam pariter atque febres. Ita quoque habeto de natura febrilis veneni ſub unguibus, quales NB. prius cæruleo, poſterius albido colorantur ac mortificantur. Quorum conſimilia quoque comperias in ſucco

Acatiæ veræ & Sylveſtris, in herba Androſacæ, in Arboris fœtidæ Cortic. Arbuti fructu, in Caſtaneis, in Cypreſſi Corticibus, Contrajervæ rad. Gentianæ rad. Hypociſticis ſuccò, Myrtifoliis, in Nucibus quercus, in Gallis comm. & Turcicis, Serpentariæ rad. in granatorum corticibus, in fraxini corticibus, in ſalicis corticibus, Ulmi alb. corticibus; liguſtri corticibus, ſorbi fructu, lentiſci fructu, ſumach ſemine & foliis, paſſularum magnarum granis atque in aliis id genus compluribus. Hinc in illis ineſſe comperias facultatem incraſſandi, coagulandi atque attrahendi.

Ex quibus infertur, quod Fermenta ſaporum Odorumque rerum ſint in Stomacho, in inteſtinis, in Glandularum ſuccis, ſive in ſucco lymphatico, aut in ſanguine, perquam noxia multis Morborum varii generis Corporeorum affectibus, præſertim in partibus externis, ubi potiſſimum in curandis ægris opus eſt, ut talia accidentia per Antipathetica corrigantur, atque Naturæ congruenter per Fermenti præparationem ſecundum artem evacuentur.

Item Obſervationem de Præcipitationibus Acetorum Mineralium, Animalium, Vegetabilium. Pro primis Aceta Mineralium, ſunt Acetum Nitri, Salis, Aluminis, Vitrioli, Aquæ fortis, Aq. Regiæ.

Pro ſecundo Aceta Animalium, ſunt Acetum, ſanguinis, Ungularum, Cornuum, Oſſium, & omnia per Retortam deſtillatarum partium.

Pro

Pro tertio Aceta Vegetabilium ſunt Acetum vini, Cereviſiæ, ſuccus Citri, Arantiarum, Acetoſæ Berberum, Granatorum, Ribium, Tartari vini.

Hæc Aceta omnia præcipitant corpora ſulphurea Metallorum, Mineralium, Lapidum, Cornuum, Oſſium, Concharum, Cancrorum, diſſoluta ſive in via humida ſive ſicca, ſive in ſalibus volatilibus, ſive fixis.

Inter fixa ſalia numerantur ſal cinereus, lignorum, herbarum, fæcum vini, ſal Tartari, Nitrum fixum, ſal commune fixum &c.

Inter ſalia volatilia annumerantur ſal Armoniaci, Urinæ, ſanguinis, Stercoris, Fuliginis, Cornu Cervi, Succini &c.

E contra verò etiam præcipitant Salia fixa, & volatilia, omnia Corpora in prædictis Acetis diſſoluta.

Et præter præcipitantem, præſtant hæc ſimul, attrahentem vim. Inde omnes aquæ nitroſæ bene mixtæ cum amaris aquis potabiles fiunt, quia ſapor amarus, & acidus, mutuo ſe amplectuntur ſive præcipitant.

Hæc etiam eſt ratio, cur lunæ diſſolutæ in aq. forti fit præcipitatio per lac album Veneris, nam Lunæ amarities & Veneris ſalis aciditas ſe mutuo amplectuntur & præcipitant.

Hic etiam in præparatione Tartari Vitriolati hoc videre poſſumus, quod ex Amaritie liquoris Tartari, & Aciditate Olei vitrioli, ſupernatans humiditas fere ſit potatorium coagulum, nullius ſaporis eſt utrumque. Sic præcipitat Mercurius vivus, non ſolum aurum & argentum, ſed cætera etiam omnia Metalla.

Item Mars præcipitat Cuprum, ſicut Cuprum præcipitat *argentum*. Plumbum præcipitat Cuprum,

Mars præcipitat Mercurium, plumbum, & Argentum. ſal vitriolatum Martis Crudi præcipitat omne ſulphureum vitrioli, & Tartari vini in aqua diſſolutum.

Fumus ſulphuris inflatus per fiſtulam in dolium præcipitat aquas turbidas *fæcatas* & ſalinas Acidas.

Aciditas Aluminis albi vel rubri præcipitat ſulphur ſucci expreſſi omnium vegetabilium.

Acetum, Alumen, & ſulphuris fumus præcipitat Fermentum recentis vini & Cereviſiæ.

Lapis pumcicis & Arena Calida præcipitant & clarificant Aceta vini & Cereviſiæ turbida.

Lithargyrium, Alumen, Ichthyocolla clarificant per præcipitationem omnia vina turbida.

Lac recens vaccarum, Albumen ovi clarificant per præcipitationem omne turbidum ſpiritus vini.

Fæces vini albi præcipitant tincturam vini rubri,

Minium, plumbum in igne liquidum, & fragmenta ollarum novarum præcipitant mucilaginem vel mucum vini.

Succus lacteus ficus arboris præcipitat, lac, ut ſolet, ab Aceto.

Oculi cancri, Coralli, Margaritæ, Conchæ, Ovorum putamina; Bolus, terra ſigillata, lateres, lapides fere omnes ſive pretioſi, ſive vulgarii, & raſura Martis vel Chalybis præcipitant Acidum fermenti ſtomachici, & Acidum Chyli inteſtinalis.

Oleum Tartari & Nitri per deliquium præcipitant urinam turbidam ægrotorum, & aquas turbidas ciſternarum & fontium.

Saccharum Saturni præcipitat quantitatem ſalis communis in aqua diſſolutam.

Omnia ſalia fixa liquida præcipitant olea deſtillata & expreſſa in ſaponem.

Aqua

Aqua ſimplex & aqua ſalſa præcipitat *Gummata*, reſinoſa & oleoſa omnia in *ſpiritu* vini diſſoluta.

Liquor Nitri & Tartari præcipitant Mercurium ſublimatum in aqua communi diſſolutum.

Spiritus Urinæ præcipitat Mercurium ſublimatum in aqua calida diſſolutum.

Omnia Aceta præcipitant Sulphurea diſſoluta omnia fixa ſive in ſale fixo ſive volatili diſſoluta.

Oleum vitrioli præcipitat omnia Metalla, mineralia, & lapides, diſſolutos in Acetis.

Sal commune præcipitat aurum, Argentum, Mercurium diſſolutum in aq. fortibus ſive Regiis.

Spiritus Urinæ, ſalis armoniaci, fuliginis præcipitant Antimonium, Aurum, lapidem Calaminaris diſſolutum.

Liquor Tartari præcipitat Corallia, lapides Lyncis, ſpongiarum lapides, Calculos humanos & ejuſmodi ſpecies diſſolutas in Aceto.

Calx viva, ſal Commune, Sapo Venetus præcipitant Argentum diſſolutum.

Mercurius vivus præcipitat ſpiritum Vitrioli in alumen.

Saccharum diſſolutum in aqua præcipitat atramentum,

Spiritus vini præcipitat Sulphuris, & florum ſulphuris puriſſimam partem.

Spiritus Vini præcipitat omne impurum tincturarum metallicarum.

Antimonium, Sulphur & Carbones præcipitant omnia metalla fuſa fluida in Crucibulo cum Nitro fixo diſſoluta.

Carbones præcipitant Vitra Metallorum in metallum priſtinum.

L 5 Raſura

Raſura Martis, & Pulvis Carbonum præcipitant Minium.

Plumbum in Cinerem redactum in *priſtinum* Metallum.

Sal Tartari præcipitat ferrum in Antimonio diſſolutum ad Regulum Stellatum.

Sal commune præcipitat Plumbum diſſolutum in aqua forti.

Raſura Martis præcipitat Argentum ſive in ſulphure ſive in Antimonio diſſolutum.

Nitrum fixum præcipitat & fixat omnia metalla diſſoluta, ſive in ſicca ſive humida via.

Jupiter diſſolutus in aqua forti ſemel abſtracta tunc præcipitatur & fixatur, quod fere impoſſibile ſit in igne valde vehementi reduci in metallum, ſed in vitrum album,

Saturnus in aqua forti diſſolutus & poſtea per ſpiritum urinæ præcipitatus in ignis tortura non reducibilis eſt.

Saturni Cinis in *aqua* forti diſſolutus & cum liquore Tartari præcipitatus per reductionem mutatur in vitrum flavum.

Saturnus in aqua forti diſſolutus & cum ſale communi præcipitatus, fit in igne totus volatilis. Sic etiam Mercurius vivus, & Argentum fit volatile.

Multa alia de Colorum præcipitatione eſſent agenda in floribus & herbis, ſcilicet ut vidimus tincturam Roſarum per ſpiritum vitrioli elici ruberrimam;

Per Tartari liquorem vero viridiſſimam, per ſulphuris fumum albiſſimam, & ejuſmodi, de quibus Boile de coloribus putat ſe multa ſcripſiſſe arcana.

Eſt enim genus Harmoniæ optimum, ſi quando Medicus aliquis per judicium firmum ſciat, non tantum recte cognoſcere primas morborum cauſas ſeu

Vene-

Venenum, quo fermentum ordinarium corrumpitur, verum etiam ejuſdem fermentum à corrumpentis Veneni Effervescentia liberare, & per præcipitationem emendare. Neque vero eſt, quod per imaginationem fallacem ſibi Medicorum quiſquam perſuadeat, ſe vel ſolo Doctoris nomine ſine omine poſſe mundo, qui plerumque vult decipi, ad plenum ſatisfacere, dum calleat omnes Corporis Ventriculos per ſpecifica ſua purgare, evacuare, aliorumque cum nondum infectis humores una cum illis corrumpere, atque ita Corpus totum debilitare, ſed inſuper quoque Dominus Doctor tenetur ſcire, quali compendio ipſe nutrientem patientis Ventriculi humorem à ſuo Veneno dextre corrigat; quippe quo rite peracto, ſuapte ſponte Natura illius reſtituti fermenti per ſuum appropriatum Naturæ conveniens incognitumque Medico Emunctorium ſive ſenſibiliter ſive inſenſibiliter evacuabit. Quod ſi afforet intemperies Ventriculi, Natura ex confortantibus balſamicis ſemetipſam reſtitueret ſecundum requiſitas ſui temporis proprii moras ac horas, cum tamen iſti Domini Doctores corrumpant adhuc plures, prout ſuperius demonſtravimus. Neque enim ſufficit, Medicum callere modum adhibendi omnia purgantia ſpecifica uniuſcujuſque Ventriculi humoris, nominatimque rationem purgandi Ventriculum remediis Naturæ repugnantibus per Vomitoria videlicet per Aſarum vel Crocum Metallorum, inteſtina per Rhabarbarum, aut Tartarum Vitriolatum, Glandulas Pancreatis per Gialappam vel aquam Spadanam naturalem ſive artificioſam, Glandulas Oris, & Laryngum per maſticatoria, nempe per Radicem Pyrethri aut Mercurium dulcem; Vaſa Lymphatica per ſalivationes ex Gummi de Peru, vel à turpetho minerali, vel per ſtricadam exter-

externam Mercurialem; Cerebri Ventriculos per ſternutamenta ex helleboro albo vel vitriolo Cyprio; Renes per Terebinthinata & ſalia fixa; Nervos & *Muſculos* per ſudorifera, cucurbitulas ventoſas, veſicatoria & per fonticulos ex herba Cardui benedicti, vel ex Antimonio diaphoretico atque per fomentationes, per herbas & aquas ſulphureas; Glandulas Oculorum per lachrymas ex cæpis, Radicis piperitis, vel cum urinæ ſpiritu; Glandulas mammillarum lacteas per lacteſcentia ex nigellæ ſemine, ex ſalibus volatilibus; ſeminis provocantia per radicem Satyrionis, per Ambram griſeam; Menſium provocantia per ſabinam, per Tincturam Martis; Venarum & Arteriarum ſanguinis diminutionem, per Venæ ſectionem, vel ſanguiſugas, & id genus alia, in omnibus peculiaribus per totum Corpus Viſceribus, prout docuimus. Talia quippe omnia ſine evacuatione congruenter naturæ à ſua depravata indole naturali ſive Veneno per viam corrigendi liberanda & reſtauranda ſunt. Quia prout elocutus ſum, & adhuc loci eloquar, omnia purgantia Venarumque ſectiones, quæ ſine ulla diſcretionis cautione, & cauſa momentoſa poſt præviam correcturam humorum à Veneno infectorum in Vaſis ſuis adminiſtrantur, quidem non ſunt plene ac plane improbanda, attamen haudquaquam præſtant vicem medicamentorum naturæ congruentium; tametſi iſtiuſmodi nihil in ſua Natura congenita relinquant inviolatum, ſed corrumpant omnes ſuccos nutrientes atque humectantes omnium Viſcerum convertendo in peculiare morborum Symptomatumque venenum, prout ſuperius condocui inter agendum de Origine ſalium, ſulphurum atque Mercuriorum ſecundum prædominationem unius in alterum per interventum digeſtionis, fermentationis, putrefactionis, aut Efferveſcen-

veſcentiarum. Atque ita in ſuo quodque Venenum dignoſcitur effectu, quo diverſa natura illius, quod ante hanc turbationem ei erat unitum, inde ſeparatur, ſeu ut vulgo ratiocinantur, vita cum morte commutatur.

Quid quæris? ſi me inceſſerit ſcribendi cupido & Deus Opt. Max. indulſerit tempus vacuum, ſtat ſententia tractandi adhuc ulterius, quidnam in ſuis tribus ſint Creaturæ Exarchatibus ſeu Regnis, prout de tali hypotheſi ab aliis effuſe ſcriptum poſteritatique relictum eſt, quidnam ſit Circulus ſeu admiranda Naturæ Rota quam omnes viventes vitaque carentes curriculo pertranſire neceſſe habent, antequam ſua corpora ſibi renovare, ſe propagare, atque multiplicare valeant. Et quemadmodum ſemper omnium perfecte conſiſtentium eſt in tribus non niſi unum, nimirum viventium in Spiritu, Anima & Corpore, vegetantium in Sulphure, Mercurio & Sale, etiam perinde atque primum maſculinum, per ſecundum fœmininum in tertio filioli habetur; atque ſicuti nullum trium horum poteſt ſubſiſtere, ac dici ſingulum ſeu aliquid eſſe per ſe, ſed quemadmodum unumquodque illorum perpetuo eſt copula amborum, nempe Spiritus ſe præſtat copulam Animæ & Corporis, Anima copulam Spiritus & Corporis, Corpus denique copulam Spiritus & Animæ; & quod ſicut in Animalibus Spiritus, Anima & Corpus ſuis gaudent functionibus, ita etiam in mineralibus ſulphur fungitur officio ſpiritus, Mercurius officio Animæ, & ſal officio Corporis. Si vacaret, adſcribi poſſet, non tantum qualiter rebus ſulphur omnibus elargiatur *Odorem* ſaporemque, Mercurius eroget humiditatem flexibilitatemque, ſal condonet Corpus & ſubſtantiam, verum etiam qualiter ſulphur ſemper polleat vi balſamicè operante, Mercurius facultate hūmectante, & ſal virtute ſubſtantiis augmentum conciliante. Quibus ſubſcribi poſſet, qualiter omne ſul-

ſulphur, Mercurius, atque ſal reperiantur æque volatilia atque fixa in rebus fere omnibus, quippe quæ veritas per Artem ſeparandi amat demonſtrari ac promulgari. Non poſſum non ſubjungere, quod per Artem Chymicam tradatur, quomodo pars Corporis Metallici ſalina poſſit deſtrui, pars Mercurialis ſolvi, & pars ſulphurea ſeparari, vel quomodo purior Metalli ſive mineralis lapidis pars ſulphurea per ipſius aquam Mercurialem à ſuo Corpore elui & in ſuo Corpore ſalino clarificari, atque ad ulteriorem ſeparationem conſervari queat. Quibus addas quæcunque ille Cryſtallorum, Perſpicillorum ſpeculorumque artifex Paracelſus per vitreum conſpicillum à cæco conſpicienda eſſe requirit in Vitris atque gemmis, quæ in ſe naturaliter artem poſſident. Foret quoque operæ prætium demonſtrare, quemadmodum peculiares omnium trium regnorum Matrices atque Fermenta, cogantur in ſua humiditate, per quendam ſingularem Calorem Naturæ congruum ex potentia propagandi, atque multiplicandi in actum deduci. Neque etiam ſilentio prætermittendum foret, quomodo omnium animalium vegetabiliumque fermenta atque matrices ſive naturales ſive arti conſentaneæ in uberiore humiditate, quam ſiccitate, atque in ampliore refrigeratione, quam calore conſiſtere neceſſe habeant.

Contra quomodo omnium metallorum mineraliumque Fermenta Matriceſque in ampliore calore quam refrigeratione, atque in effuſiore ſiccitate, quam humiditate conſiſtere teneantur. Huc quadrat, quomodo fermentans animalium humiditas eſt Lympha Glandularum, & quomodo illorum calor ex Corporis motu oriatur; vegetabilium autem humiditas ſit vel pluvia vel ros Cœli, atque humor telluris; illorum vero Calor proficiſcitur ex influxu radiorum

diorum Solis. Etenim mineralium humiditas eſt reſolutus terræ vapor, ac exhalatio montium, illorumque mineralium calor progignitur ex quodam ſulphure fumoſo, aut Calore ſolis incluſo in Montium Cavitatibus Celluliſque, &c.

Pro Coronide peroretur de Metallis ſecundum illud vetuſtate tritum ac veritate communitum Philoſophorum Apophthegma: *Ubi Natura cogitur deſinere, ibi ars tenetur incipere.* Quare ſi quis artis peritus filius calluerit ex fixo conficere volatile, atque ex volatili fixum, ſemper parabit ex viliori nobilius, ex mortuo vivens, ex craſſo tranſparens, atque ex pellucido craſſum Corpus.

Appendicis loco hoc unicum notatu dignum adjicimus, putantes id reſtare Philoſopho Naturæ ſecreta perſcrutanti ſcire ſecundum vetus dictum, *corruptio unius eſt generatio alterius.*

Hanc corruptionem vero conſiſtere in tribus Viis, ſcilicet in Fermentatione, Efferveſcentia, putrefactione, demonſtrandum mihi fuit, non ſolum omnibus creaturis ad ſe in propria natura monſtrandum, tranſplantandum & multiplicandum neceſſariæ ſunt tales deſtructionum viæ, idque tam in ſpecie, quam in genere ſecundum corpora, animas & ſpiritus mobilium ſive immobilium creaturarum; ſed etiam videre poſſimus per tales, purum ab impuro, volatile à fixo, balſamum à veneno ſeparari, ſecundum varia variarum creaturarum, Regni ſive animalis, ſive vegetabilis ſive mineralis, corpora, *ſalia* ſcilicet, Sulphura & Mercurios; nam ſub minima ſcintillula, atomo, vel corpuſculo latet potentialiter tota balſamica ſeu venenoſa virtus. Præſertim ſi Chymico-Medicus bene diſtinguit hunc naturalem, artificialem vel violentum fermentationis, efferveſcentiæ & putrefactionis motum. Nam in talibus ſalium, ſulphu-

ſulphurum &, Mercuriorum odoribus, fœtoribus & ſaporibus balſamicis vel venenoſis ſeparatis, conſiſtunt actus tam vitæ quam mortis. Inde etiam per tales deſtructionum vias omnes contagioſi morbi, ut plurimum ab infecto aëre, aut venenoſo halitu peſte laborantis, aut ex contactu vulneris venenoſi ſulphuris, ſalis & Mercurii tranſplantantur per infectionem; licet interdum adjuvante timore, anxietate, vel terrore vehementi multo citius. Ut enim uxoris prægnantis macula hujus vel illius objecti, ſine contactu prædicto fœtui imprimitur & implantatur; ita etiam venena peſtifera ſine contactu corpori humano inferre vim peſtiferam effervеſcentem poſſunt. Proinde Methodum, Medium & viam medendi ægrotis etiam per Fermentativas atomos ſulphureas ſalinas & Mercuriales Odorum, ſaporum & fœtorum ſeparatas fieri debere concludimus. Sufficit

Tantum amicis, proſit inimicis!

JOHANNES FRIDERICUS HELVETIUS
M. D. P. Hagæ Comitis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTECA